

EPISTULA LEONINA

CCLIX

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM UNDESEXAGESIMAM (259)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-06
CEDANT ARMA TOGAE.....	07
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....	08-10
COETUS ET CONVENTUS ALF: 'DE URBE ROMA'.....	11-13
CONTRA PESTEM COVIDIANAM (<i>Maurus Pisini</i>)	14
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....	15-16
ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS QUALE LEXICON FIAT.....	17-73
Introductio.....	17-19
Praefatiuncula (<i>Theodericus Sacré</i>).....	20-24
Praedispositio.....	25-27
Dictionarium Visuale.....	28-38
Index contentorum Orbis Picti Hexaglotti.....	39-47
Exempla picturarum et nominum.....	48-60
Exempla Glossarum.....	61-71
CARMINA HODIERNA (<i>Radulfus Lavalle</i>)	72-81
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	82-91
<i>Ioannes Carolus Rossi (82) – David Edwards (83) - Ansgarius Osloensis (83sqq.) – Gaius Licoppe (85–88) - Christianus Laes (88sq.) – Paulus Kangiser (89) – Theodericus Sacré (89sq.) – Radulfus Lavalle (90sq.)</i>	
LIBRI LEONIS LATINI.....	92-95

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

»Cedant arma togae, concedat laurea linguae«. Utinam haec verba Ciceronis nunc in Ucrainiâ et in Russiâ et in Americâ audirentur et comprobarentur et ad effectum adducerentur! At, proh dolor, fatigatae sunt albae columbae palmam pacis rostris gerentes, quae miserae fugantur ab harpyis bellicosissimis; istae minaciter crocitantes voce perterriticrepâ videntur velle ad Putinum alterum Satanam puniendum pugnare (aut potius curare, ut alii pugnant) »usque ad ultimum Ucrainum« et pretio ipsius ecpyrosis mundi atomicae. En quantum insaniam et vesanitatem! Sunt qui e bello lucrum petant, sunt qui stultê credant quam pluribus armis ponderosis pacem posse effici. Tales caldicerebrii baceoli neque sciunt verba illa Erasmiana quae sunt »Dulce bellum inexpertis« neque illud proverbium Romanorum quod est »Sedendo vincimus«: Romani enim saepe non eo victoriam pepererunt, quod caeco furore quam plurimos hostes trucidabant, sed quod prudenter disceptando adipiscebantur contractum pacis quam commodissimum.

Nonnulli lectores mecum in utramque partem disceptaverunt de bello ucrainensi. Sunt qui dicant me Americanos iniustê accusare. Affirmo me non generaliter et indiscriminatim Americanos vituperavisse, sed nonnullos, qui nunc regimen tenent Civitatum Unitarum et vim habent ad magnam partem mundi reliqui. Ceterum mihi videtur ille Professor

John Mearsheimer, cuius sententiam in EL 258 publicavi Latinè redditam, veras causas huius conflictū ucrainiani plausibiliter explicare.

Russi eādem de causā non patiuntur ruchetas americanas (neque Americae milites et consultores militares et biolaboratoria militaria etc., etc.) ante portas imperii sui collocatas quā Americani non patiuntur ruchetas russicas in Cubā collocatas (aut, ut nuperrimē factum, minantur Sinensibus bases in Insulis Salomonis collocaturis). In utroque casu subest imperialismus, non moralitas. Imperia potius reguntur macchiavellismo quam catechismo christiano. Sed propter tales luctationes potestatis maxima mala patiuntur cives subditi, qui potestatis sunt prorsus expertes - sive sunt Ucrainii sive Russi sive Americani. Absurdissimum et improbissimum est nunc omnibus Russis maledicere et Russos artifices ex theatris et orchestrī fugare propter Putini belligerationem. Talis antirussismus (qui falso dicitur russophobia, nam agitur de odio, non de timore erga Russos) est horrendus phyletismus, qui in memoriam nobis revocat capitulum historiae Germaniae funestissimum. Etiam sanctiones oeconomicae sunt in dubium vocandae, si nobis ipsis plus nocent quam Russiae. Iisdem efficitur, ut Russi Sinensibus se associent - certē hoc non fiet commodo Occidentalium.

Ceterum in Civitate Iemenitica ex multis annis crudelissimē saeviunt bellum et famē, quae efficiuntur ab Arabibus Saudianis. De isto bello cruentissimo vix umquam nuntiatur apud nos aliquid a diurnariis et vix ullus politicus aut diurnarius postulat ut Saudianis imponantur sanctiones. Ubi sunt accusatores Saudiorum? Ubi sunt clamores indignationis et misericordiae? Num Iemenitae mulierculae et infantuli

minus valent quam Ucrainii? - Nostra gubernatio mendicat gasum liquidum in Catariâ, ubi iura humana etiam multo minus respiciuntur quam in Russiâ. - Quid de Erdoganis Turcorum praeside, qui bombas iacit in Curdos, sed personam gerere vult mediatoris pacis inter Russos et Ucrainios facienda? Europaei non audent postulare, ut Turciae sanctiones imponantur. Erdoganus enim nimiam potestatem habet flumen immigrantium derivandi.

Apparet occidentales inquis mensuris, variisque ponderibus uti in facinoribus variarum nationum pendendis: America persaepe idem faciens (fregit ius gentium - in Iugoslaviâ unâ cum Nato, in Iraciâ, in Libyâ, in Afghanistaniâ, in Vietnamâ, in multis aliis terris) numquam sanctionibus punita est; Russia quia hoc fecit, nunc in summâ et indiscriminatim dicitur Regnum esse Tenebrarum, Putinus habetur pro altero Dzingischano, Stalino, Hitlero, Draculâ, Diabolo.... Ubi est aequalitas iudicii? Ubi est iustitia quam Cicero dicit esse reginam omnium virtutum? Nil nisi mendacia et verba hypocritica...

Si bellum nunc dilatatur et exasperatur armis ponderosis in Ucrainiam mittendis, praeter Ucrainios nos ceteri Europaei ipsos in magnum periculum subducimus. Maximè timendus est usus armorum nuclearium. Quae Deus avertat. Utinam pax redeat in Europam quam maturrimè!

Nos quia humanistae sumus, solacium capiamus bonas litteras legentes et scribentes. Quid praebet Leo Latinus tibi in hac Epistulâ suâ Leoninâ? Primo loco, queso, legas programma uberrimum Congressus Academiae Latinitati Fovendae, qui in URBE ipsissimâ fiet a die 11 mensis Iunii usque ad diem 15. mensis eiusdem. Utinam quam plurimi confluant cultores

Latinitatis, utinam eorum studia procedant quam prosperrimè!


Artificiosa cum sint chronogrammata Patris Herberti Brasiliensis et Tobiae Rössleri necnon oratio Mauri Pisini, eadem plurimum tibi commendo. Nam oportet omnes homines studia humaniora amplexi otium degant cum dignitate; otium autem dignum non est nisi cum arte.

Prolixissima autem symbola Leonina est relatio, quam Leo scripsit de *Orbe Picto Hexaglotto*, permagno Lexico picturato et glossato, quod duo volumina complectitur, unum picturarum alterum glossarum. Leo bene sperat idem opus magnum hōc anno perfici posse. Candida Lectrix, candide Lector, fave operi meo laboriosissimo!

Praefatiunculâ tandem exeunte toto ex corde tibi suadeo, ut perlustres epistulas et echūs voces mihi a lectoribus missas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate incundissimā... Pancraticē vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Mercurii, 04. m.Maii a.2022



CEDANT ARMA TOGAE CONCEDAT LAUREA LINGuae

Haec verba inscripta sunt insigni sive heraldo urbis Bălți, quae sita est in re publicâ Moldaviâ. Eadem excerpta sunt ex opere Marci Tulli Ciceronis (Oratio in Pisonem 29,72 sqq.).

CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 01. Mai:



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022* MaIVs VenIt nobIs a VIta MaIae In terrIs. – Mai kommt uns vom Leben der Mutter Maia auf Erden. - – vgl. Durandus, Rationale VIII,4,7

2022* MaIVs est Inter nos MensIs pVrae et pIae VIrgInIs – Der Mai ist bei uns der Monat der reinen und gütigen Jungfrau.



Mathis Grünewald, Kreuzigungstafel vom Isenheimer Altar

Zum 1. Mai, dem **Fest des heiligen Josef, des Patrons der Arbeiter:**

2022* saLVe, Ioseph VIVens opIfeX seDVLe, DeI genetriICIs CVstos Integer et sapIens et VeraX, fILII DeI nVtrICie Intente, ora pro totIs nobIs. - Sei gegrüßt, Josef, du im Leben fleißiger Arbeiter, keuscher, weiser und wahrheitsliebender Schützer der Mutter Gottes, aufmerksamer Pflegevater des Sohnes Gottes, bitte für uns alle!

Zum 1. Mai, dem **60. Jahrestag meiner Priesterweihe:**

2022* HerIberte, tV aVteM seqVere Me sIgnIfer regIs nostrI pII. – Herbert, du aber folge mir als Bannerträger unseres milden Königs. – vgl. Joh 21,22



Neupriester, Ulrich von Lilienfeld., »Concordantiae Caritatis«

Codex Campiliensis 151 (um 1355), fol. 231v

Zum 3. Mai, dem Fest des Apostels Philippus:

2022* IesVs qVaeRIt: PhILIPpe Care, nonne CreDIS qVIa ego In Patre atqVe Pater In Me? ego ero VIa VerItas et VIta CVnCtIs IbI pIe VIVentIbVs. – Jesus fragt: „Mein werter Philippus, glaubst du nicht, dass ich im Vater bin und der Vater in mir ist? Ich werde der Weg der Wahrheit und das Leben für alle sein, die dort in Gottesfurcht leben“ – vgl. Jo 14, 3.5

Zum 3. Mai, dem Fest des Apostels Jakobus, der Sohn des Alphäus:

2022* IaCobVs, frater IesV IVDICabat IbI In ConCILIo: sententIa Mea est non InqVIetarI Vere fratres Istos, qVI eX gentIbVs VenIVnt. – Jakobus, der Bruder Jesu, gab folgende Meinung dort auf dem Konzil von sich: „Meiner Meinung nach sollen diesen Brüdern, die aus den Heiden kommen, wirklich keine Lasten auferlegt werden“. – vgl. Apg 15,19

**HAEC PIA CHRONOGRAMMATA CONFECIT
PATER HERBERTUS DOUTEIL BRASILIENSIS**

COETVS ET CONVENTVS ALF

‘DE VRBE ROMA’

Theodericus Sacré sodalibus ALF s.d.p.

Ecce conventus moderatorum nomine ac iussu ordinem rerum in congressu ALF agendarum ad vos mitto; accedit nuntius de coetu annuo.

Spero quam plurimos vestros fore praesentes. Ceterum hortor vos ut Latinitatis cultores qui vobis innotuerint certiores faciatis de hoc conventu: qui si his rebus interesse cupierint, hospites erunt nobis grati! Unum ab eis petimus: ut Nicolao De Mico sodali nuntient quibus diebus sint affuturi.

Valete quam optime!

COETVS ALF ANNVVS

Die undecimo mensis Iunii:

Postmeridiano tempore: in monasterio S. Caeciliae Transtiberino:¹

h. 15.00: Coetus generalis

h. 18.00: Interstitium

h. 19.30: Cena in regione Transtiberina²

CONVENTVS ALF ‘DE VRBE ROMA’

1. Die duodecimo mensis Iunii

Matutino tempore: in aedibus Capitolinis

h. 9.15 – 10: PRAESES, Conventus inauguratio

h. 10 – 11.30: Orationes tres:³

1. T. PEKKANEN, *Testimonia de urbe Roma selecta poetarum Latinorum*

2. K. SMOLAK, “*Iam vacua ardet Roma*“ (Gregorius Magnus, *In Ezechielem*, libro II^o, homilia VI^a, lineis a 520^a ad 595^{am})

3. M. CRISTINI, *Antiquitas decentius innovata. De urbe Roma sub dizione Gothorum*

h. 11.30 - 12: Pausa cafearia

h. 12-13.30: Orationes tres:

1. A. MIRAGLIA, *De urbis Romae notione apud Petrarcam et alios humanitatis restitutores*

2. I. MARCELLINO, *De Roma triumphante*

3. C. LAES, *Drusus III sive de iuventute miserrima. Carmen Nelli Martinelli (1951)*

h. circiter 13.30: Prandium⁴

Postmeridiano tempore: in monasterio S. Caeciliae:

h. 15.30 – 16.30: Orationes duae:

1. D. BLANCHARD, *De urbis Romae aeternitate et musica classica moderna*

2. D. ALVAREZ GOMEZ, *Philelphus: homo profecto maioris aestimationis quam doctrinae*

h. 16.30 - 17: Pausa cafearia

h. 17 – 18: Orationes duae:

¹ Consilium praesidiale habebitur hora 10.30 (ibidem).

² In caupona aliqua Transtiberina; sodales ALF invitabuntur.

³ Singulae sessiones suos praesides habebunt.

⁴ Fortasse in monasterio S. Caeciliae.

1. Y. HASKELL, *De amore et (a)moribus Romae sive de carmine Ovidiano De vita urbana Francisci Grimaldi (Romae, 1725)*

2. I. PASCUAL BAREA, *Cur Galenus in capitibus vulneribus medendis Romanum morem secutus optima medicamenta non adhibuerit*

h. 18 - 19: Acroasis musica (cantus Gregorianus)

h. 19.30: Cena⁵

2. Die 13 mensis Junii:

Matutino tempore: in monasterio S. Caeciliae:

h. 9.30 – 10.15: Cantus communis

h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:

1. V. CIARROCHI, *De nonnullis inscriptionibus Latinis, quae cum Urbis historia forsan iungi possint*

2. G. LICOPPE, *Roma num sit vicesimo primo saeculo peritura*

h. 11.30 - 12: Pausa cafearia

h. 12 – 13.30: Orationes tres:

1. I. DALLA PIETÀ, *Pauca de Aegypto et Roma*

2. N. DE MICO, *Urbem, quae omnium caput est* (Passio Quirini Tegernseensis 6)

3. D. DRAGNEV, *Sitne Roma caput mundi an in peripheria mundi? Accedat prospectus e Bulgaria*

h. 13.30: Prandium⁶

Postmeridiano tempore: apud Pontificiam Universitatem Salesianam:⁷

h. 16.30 – 17.30: Orationes duae:

1. M. SAJOVIC, *De vita deque virtutibus Marcellae, viduae Romanae, quas Hieronymus Stridonensis in epistulis suis commemorat*

2. T. SACRÉ, *De Leone X P.M. panegyricis annuis commemorato deque Henrici Chifellii (1583-1657) orationibus quibusdam ineditis*

h. 17.30 - 18: Pausa cafearia

h. 18 – 19.30: Orationes tres:

1. R. SPATARO, *Utrum Constitutio Apostolica 'Veterum Sapientia' (MCMLXII) etiam temporibus nostris sit apta studiis Latinis fovendis*

2. I. L. LIMA, *De urbis Romae itinerariis iuxta Carolum Egger et Cletum Pavanetto viros praeclaros*

3. I. RUBINI, “*Opaca Fronde*” sive *de Musa Iaponica Vrbem peragrante: vel de haicubus Latine pangendis*

h. 19.30: Fabula scaenica

h. 20.15: Cena

h. 22: Reditus in regionem Transtiberinam

3. Die 14 mensis Junii:

Matutino tempore: in monasterio S. Caeciliae:

h. 9.30 – 10.15: Cantus communis

h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:

5 Fortasse in monasterio S. Caeciliae.

6 Fortasse ibidem.

7 Raeda longa in Univ. Salesianam vehemur.

1. H. SILVESTRE, *Ibam forte via Sacra: Roma in versibus Horati et Martialis*
2. P. MARONGIU, *Magistri Gregori narratio de mirabilibus urbis Romae: quo animo auctor urbis Romae maiestatem descripsiterit*

- h. 11.30 - 12: Pausa cafearia
 h. 12 – 13.30: Orationes tres:
 1. C. LYVENS, *Alma vox urbis Romae Latina, sive quid Roma Latinitati redivivae ineunte et mediante saeculo XX profuerit*
 2. M. LOCH, *De muneribus novi aevi sive de studiorum classicorum curriculis renovandis*
 3. I. C. ROSSI, *Qualis fuerit Urbs, quales civitatis consuetudines, qualis sermo cotidianus, me puero*
 h. 13.30: Prandium

Postmeridiano tempore: in regione Transtiberina et in monasterio S. Caeciliae:

- h. 15.30: Lustratio basilicae S. Caeciliae aliorumque locorum
 h. 19: Cena in monasterio S. Caeciliae
 h. 20.30: Acroasis musica (exhibebitur symphonia quarta Gustavi Mahler)

4. Die 15 mensis Iunii:

Matutino tempore: apud Academiam Vivarii Novi:

- h. 9: Profectio in Academiam⁸
 h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:
 1. M. G. IODICE, *De insula Tiberina nominata in urbe Roma posita*
 2. R. REGTUIT, *Frisii ante portas*
 h. 11.30 – 12.00: Pausa cafearia
 h. 12.30 – 13.30: Orationes duae:
 1. G. GUZMÁN RAMÍREZ, [Orationis titulus postea nuntiabitur]
 2. A. WATANABE, *Mille viae ducunt Romam: Certamina nationum atque ordinum circa Iaponiam saeculis XVI et XVII*
 h. 13.30: Prandium

Postmeridiano tempore: apud Academiam Vivarii Novi

- h. 15: Lustratio villaे Falconeriae
 h. 16 – 17.30: Orationes tres:
 1. T. TUNBERG (per rete), *Cur Marco Antonio Mureto, oratori et Gallo et Romano, quandam eloquentiae palmam deferre debeamus*
 2. M. MINKOVA (per rete), *De Ioanne Petro Maffeo scriptore Romano*
 3. S. WEISE (per rete), *De Goethio elegiarum Romanarum scriptore et earum versionibus Latinis saeculi XIXⁱ*
 h. 17.30 – 18: Pausa cafearia
 h. 18 – 18.30: Oratio:
 1. I. ARNELLA, *Duas res publicas animo complectamur: de veris Latinitatis confiniis eiusque per saecula perpetuitate*
 h. 18.30 – 18.45: PRAESES, Conclusio Conventus
 h. 19.00: Acroasis musica (canet chorus musicus ‘Tyrtarion’)
 h. 20: Cena
 h. circiter 22.30: Reditus in regionem Transtiberinam

⁸ Raeda longa vehemur.

CONTRA PESTEM COVIDIANAM ORATIO

Salve, carissime!

Precem quam legis una cum discipulis meis aliquot abhinc menses conscripsi ad pestem coronariam detestandam. Eandem tibi propono, ut commentariorum tuorum lectoribus sit, quantum fieri poterit, religiosae utilitati. Valeas quam maxime!

Maurus Pisini

Dum pestis, quae *coronavirus covid 19* appellatur, modo plus modo minus, etiamnunc, quoquoversus grassatur, una cum meis discipulis quos *Stilum Latinum* doceo apud *Institutum Altioris Latinitatis* in *Pontificia Universitate Salesiana* (Romae), inter alias scribendi exercitationes, statuimus hunc precis textum Latine convertere quem ipse prius Italico sermone concinnaveram, quo in orando pie ac devote uteremur:

Proteggici, o Signore, dal coronavirus e concedi di nuovo una buona salute a quanti soffrono per causa sua, perché, liberati da questa malattia mortale, vengano con gioia a ringraziarti.

Per Christum Dominum nostrum.

Has igitur locutiones, prius, variis modis interpretati sumus, deinde, mendis expurgatas expolivimus, donec ad formam, quae hic ibidem legi potest quamque, nunc, horum commentariorum lectoribus nobis placet proponere, gradatim ventum est.

Tuere nos, quaesumus, Domine, ab epidemica lue quae coronavirus covid 19 vulgo appellatur et iterum firmam valetudinem praesta iis qui propter illam laborant ut, letali aegrotatione liberati, ad te veniant laetanter, recuperatae salutis gratias reddituri.

Per Christum Dominum nostrum.

Ago, demum, gratias discipulis meis qui huic rei perficiendae mecum cooperati sunt.

**HANC ORATIONEM
SCRIPSIT
MAURUS PISINI**

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Novalis

(eigentlich Georg Philipp Friedrich von Hardenberg)

* 2. Mai 1772 auf Schloss Oberwiederstedt

† 25. März 1801 in Weißenfels

QVI N QVI ES QVI N QVAGINTA ANNIS ANTE
 VI NONAS MAIAS NOVALIS NATVS
 PHILOSOPHVS SCRIPTOR
 ATQVE INCLYTUS VATES THEODISCVS

* * *

QVI N QVAGINTA LVSTRIS ANTE
 FREDERICVS DE HARDENBERG NATVS
 POSTEA VOCATVS NOVALIS
 PHILOSOPHVS
 BONVS VATES TEVTONICVS

* * *

ANTE DVCENTOS QVI N QVAGINTA ANNOS
 DIE SANCTI ATHANASI ALEXANDRINI
 NOVALIS NATVS
 PHILOSOPHVS
 EGREGIVS VATES TEVTONICVS

Der berühmte deutsche Philosoph, Schriftsteller und Dichter
 NOVALIS wurde am 2. Mai vor 250 Jahren geboren.


Vor 250 Jahren wurde er als FRIEDRICH VON HARDENBERG geboren.

Später wurde er unter dem Namen NOVALIS
 ein Philosoph und ein großer deutscher Dichter.

Vor 250 Jahren am Tag des Hl. Athanasius von Alexandria
 wurde NOVALIS geboren,
 ein Philosoph und herausragender deutscher Dichter.

Stefano D'Arrigo

* 15. Oktober 1919 in Alì Marina (seit 1954: Alì Terme), Provinz Messina
 † 2. Mai 1992 in Rom



STEPHANVS D'ARRIGO
 POETA ET SCRIPTOR ITALVS
 AVCTOR MYTHORIACE
 «HORCYNVS ORCA»
 ANTE SEXIES QVINQUE ANNOS
 EX VITA EGRESSVS

* * *

STEPHANVS D'ARRIGO
 TRIGINTA ANNIS ANTE
 VI NONAS MAIAS DENATVS
 R. I. P.

M M X X I I

Der italienische Dichter und Schriftsteller Stefano D'Arrigo starb vor dreißig Jahren.
 Er hat den Roman „Horcynus Orca“ geschrieben.

* * *

Stefano D'Arrigo starb am 2. Mai vor dreißig Jahren. Möge er in Frieden ruhen.

ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS

Latinus, Theodiscus, Anglicus, Francogallicus, Hispanicus, Italicus

1. INTRODUCTIO

Ut colerem memoriam *Iohannis Amos Comenii* magni didactologi et lexici picturati inventoris, huic lexico nomen imposui, quod est: *Orbis Pictus Hexaglottus*.

Hoc opus ante quindecim ferē annos incohatum composui eo fine, ut omnes, qui hodie Latino sermone utantur vivo, qui Latinē loquantur et scribant, tandem habeant thesaurum verborum satis amplum, quibus denominent res, quibus in modernā vitā cottidianā circumiectae sunt: realia, i.e. concreta. Sunt qui credant ineptum esse saeculo vicesimo primo nova verba fingere Latina. At nos Latinitatis vivae defensores semper sumus memores verborum Ciceronis, qui affirmat novis rebus nova verba esse imponenda necnon Erasmi qui haud ignorat suā aetate esse milia rerum, quas exstare Cicero ne somnio quidem suspicatus sit.

Hoc opus dedico *Caelesti Eichenseer* et *Christiano Helfer*, viris de Latinitate vivā optimē meritis, quorum unus me docuit Latinē loqui et scribere necnon verba Latina novare idque nequaquam temere, sed viā ac ratione; alter praceptor sedis operariae neolatinitatis occasionem mihi praebuit Latinitatem vivam in universitate colendi.

Difficile est dictu, quot et quanta Iosephus Antonius Caelestis Eichenseer praestiterit ad usum sermonis Latini vivum renovandum. Merita eius sunt excellentissima. „Vox Latina“, Seminaria Latina, Cursus feriarum, Cursus latine loquendi institutorii.

Sed etiam nonnulli, qui ipsi commendent ut cum discipulis Latinē loquantur magistri, strictē recusant, ne adhibeant verba novata credentes iisdem linguam falsari, operaे pretium non esse Latinē loqui de rebus modernis, si de litteris historiā philosophiā agatur, sufficere paucas notiones recentiores circuitionibus verborum antiquorum exprimere. Defensor purismi pertinacissimus (*Luigi Miraglia Vivarii Novi director* (cuius studia usum sermonis Latini instituendi ceterum non possumus, quin laudemus admiratione affecti) attulit pyxidem nauticam exemplum novae notionis verbis antiquis circumscribendae.

Noster Orbis Pictus prioribus, i.e. Comeniano, Gaileriano, Kolleriano similis est, quia eodem realia mundi et vitae cottidianaे explicantur picturis sententiisque simplicibus. Porro nomina complurium linguarum afferuntur: apud Comenium nomina theodisca et Latina, in editione Gailerii tertii nomina theodisca, francogallica, anglica necnon Latina. Sed aliter ac in prioribus Orbibus pictis explicationes non dantur nisi Latinē idque in altero tomo. Quod attinet ad ordinem explicationum Latinarum alphabeticum, noster Orbis Pictus potius similis est operi Kollerii quam Comenii Gailerique.

Duae differentiae autem sunt insignissimae: Scilicet progressu artium scientiarumque interim facto qualitatem picturarum nostri Orbis picti illo Comeniano multo meliorem esse, copiam nominum multo maiorem. Considerantibus hunc progressum ingentem per plus quattuor saecula factum absit omnis arrogantia, immo crescat admiratio laborum, quos interim labentibus annis maiores nostri exanclaverunt: Nam nihil sumus, ut ait *Bernardus Carnotensis* (Bernard de Chartres) nisi ***nani gigantium humeris insidentes***: “*Dicebat Bernardus Carnotensis nos esse quasi nanos gigantium umeris insidentes, ut possimus plura eis et remotiora videre, non utique proprii visus acumine, aut eminentia corporis, sed quia in altum subvehimur et extollimur magnitudine gigantea*” (ca. a.1120. Johannes von Salisbury zitiert Bernhard in seinem um 1159 beendeten Werk *Metalogicon*)

https://de.wikipedia.org/wiki/Zwerge_auf_den_Schultern_von_Riesen

Nostrum lexicon picturatum, cui nomen imposuimus Orbis Picti Hexaglotti, est bipartitum; complectitur enim duo volumina quorum primum continet picturas et nomina, et alterum, quod glossas et testimonia.

Volumen primum picturae et nomina.

Pars prima est versio Latina huius operis, quod sequitur: „Visual Dictionary“, 4th ed., Montreal/Quebec a.2011. 8000 picturarum subscripta sunt nomina rerum e quinque linguis sumpta huius lexici originalia, i.e. theodisca, anglica, francogallica, hispanica, italica, quibus primo loco addita sunt nomina Latina, ut lexicon completeretur 40.000 notionum, quarum omnis denominata est sex linguis: Latina – Theodisca – Anglica -

Francogallica - Hispanica – Italica, i.e. insunt 40.000 nominum Latinorum, in summâ autem insunt 240.000 nominum. Nominibus Latinis addita sunt signa vocalium longarum, forma genitivi et genus.

Volumen alterum: glossae et testimonia.

Volumen alterum continet omnia nomina tomī primi Latina (ca. 40.000) in ordinem alphabeticum digesta; addita sunt, si est substantivum, forma genitivi et generis, si est adiectivum, desinentiae feminina et neutralis. In nomine eiusque formis derivatis indicantur longitudines vocalium. Quibus subscripta sunt: numerus paginae tomī primi, qua invenitur pictura et nomen rei denominatae, nomina ceteris quinque linguis significata, loci testes, etymologia, interpretamentum, brevis descriptio. Vocalium longitudines semper ibi indicantur, ubi iisdem vis aut forma verbis appareat.

Paginis sequentibus afferam Introductionem editionis Lexici picturati originalis, cuius titulus est anglicus „*Visual Dictionary*“ (Montreal/Canada 2011) et theodiscus „*Das große Bildwörterbuch*“ (Stuttgart 2014). Deinde afferam Indicem eiusdem Contentorum. Usus sum textu editionis theodiscae.

PRAEFATIUNCULA AD ORBEM PICTUM HEXAGLOTTUM SPECTANS

Quam scripsit Theodericus SACRÉ

<https://static1.squarespace.com/static/5bf95078f2e6b130dad843c9/t/5c98ce19ee6eb05e1defa8e5/1553518105933/Praefatiuncula-OK1.pdf>

Solent coetus Academiae Latinitati Fovendae ornari conventiculis Latinis, ad quae tam sodales academici quam alii viri docti invitantur ut de argumento aliquo praestituto atque ad Latinitatem Academiae negotia spectante orationes habeant breves; quae oratiunculae postea publici fiunt iuris. Itaque hoc anno 2018 diebus 4 et 5 mensis Maii Romae in aedibus Academiae Belgicae conventus est agitatus de opera lexicographica, de verbis novandis et de novo lexico Latino condendo. Auctor erat Gaius Licoppe, sodalis noster, ut de eo argumento disputaretur; proposito faverunt sodales consilii praesidialis, annuerunt ceteri sodales. Ipse enim Gaius una cum Francisca Deraedt uxore lexico confiendo atque in lucem edendo multis ante annis insudaverat, quod esset praesto iis quicumque de rebus nostri aevi inter se Latine disceptare cuperent¹. Ceterum Gaium, qui Academiae nostrae contexuerat historiam, animi minime fallebat rem eam lexicographicam satis arkte esse coniunctam cum motu illo, qui a Latinitate viva accepit nomen, necnon cum Academia nostra, quae abhinc annos circiter quinquaginta ex eadem motione quodammodo erat orta: inde enim a saeculo vicesimo mediante id semper loquelae Latinae fautoribus fuisse in votis, ut appararetur novum lexicon aevo novo accommodatum, quod non unius viri uniusve mulieris opera², sed consiliis atque auctoritate

1 cfr. Francisca Deraedt & G. Licoppe, *Calepinus novus. Vocabulaire latin d'aujourd'hui. Français-Latin/Vocabularium linguae Latinae hodiernum Latino-Francogallicum* (Bruxellae, 2002).

2 Hoc loco decet opera sodalium aliquot nostrorum memorare, qui non infeliciter militiam hanc militaverunt (sodalium ALF nomina litteris scripsimus maiusculis): C. EGGER (ed.), *Lexicon recentis Latinitatis* (In urbe Vaticana, 1992), ad quod condendum Iohannes Carolus ROSSI, Iosephus Maria MIR aliique operam contulerunt; C. EGGER, *Lexicon Latinum hodiernum. Verba, locutiones, proverbia Latine redditia*,edd. Maurus PISINI et alii (In urbe Vaticana, 2012); C. EGGER, *Scripta Latina. Percorsi letterari, storici, filologici*, ed. F. Micciarelli (Romae, 2018); O. NIKITINSKI, *Lateinische Musterprosa und Sprachpflege der Neuzeit* (17. – Anfang des 19. Jhs.). Ein Wörterbuch (Lugduni Batavorum et Bostoniae, 2017); Ios. M. MIR, *Nova verba Latina* (Barcinone, 1969); Sigrides ALBERT, *Cottidianum vocabularium scholare Theodisco-Latinum* (...) (Saraviponti, 1992); D. MORGAN iuvante P.M. OWENS, *Neo-Latin Lexicon* (legitur in rete mundano); Per multa cutit verba nova C. EICHENSEER, quae in commentariis leguntur, q.t. Vox Latina, et inde in Chr. Helfer, *Lexicon auxiliare. Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch*. Dritte, sehr verbesserte Auflage (Saraviponti, 1991) sunt recepta; cfr. etiam C. EICHENSEER, *Collectanea usui linguae Latinae dicata* (Saraviponti, 1999); eis quinque voluminibus, quae divulgaverunt T. PEKKANEN – R. PITKÄRANTA, *Nuntii Latini* (...) (Helsinki, 1992-1999) subiuncta sunt vocabularia perutilia; de novo R. PITKÄRANTA lexico agitur in his ipis actis; singulis Humanisticorum Latinorum libris accesserunt ‘Instrumenta lexicographica’, quae apparaverunt I.

Instituti alicuius omnium gentium Latini, velut Academiae Latinae, niteretur atque ab Academia comprobatum emitteretur; tale autem inceptum volventibus annis identidem esse procrastinatum. Ac longius quidem, nisi fallor, repetenda est eiusmodi lexici parandi consilium. Iam enim eo ipso tempore, cum in Urbe est conditum Institutum Studiis Romanis Provehendis, quod postea cum motu ‘Vitae Latinae’ et cum Academia nostra operam multos per annos sociavit – erat annus vicesimus quintus saeculi vicesimi (1925) – varia ac diversa consilia agitari sunt coepta ut sermo Latinus sermonisque eiusdem usus quam latissime propagaretur. Itaque Institutum illud animum induxit ut opuscula cinematographica Latina proponeret, ut acroases Latinas in Urbe faciendas curaret, ut certamina solutae orationis Latinae institueret, ut vivae etiam loquelae Latinae certamen indiceret, ut diffusiones Latinas radiophonice fierent, ut opera virorum doctorum ad artes scientiasque pertinentia typisque excudenda summiariis Latinis insignirentur. Nil ergo mirum si idem Institutum lexicon quoque recentissimae Latinitatis condendum censebat; atque id ita sentiebat apparandum, ut materies lexicographica, ratione disciplinarum diversarum habita, in complures provincias divideretur, singulae autem provinciae singulis virorum doctorum gregibus committerentur, qui verba pernecessaria quae in usu iam versarentur, coacervarent, quae vero Latine nondum exstarent, curarent creanda. Aliquot elapsis annis, res satis feliciter cedere videbatur; at, quod solet evenire operam conferentibus, alii viri docti alacriter sese accinxerunt ad labores exanclandos, alii, negotiorum copia et mole oppressi, moras trahebant; quo factum est ut magnum illud lexicon diu desideratum lucem publicam videret numquam. Quod cum ita sit, servantur tamen apud Institutum Studiis Romanis Provehendis scidulae atque adversaria ad tale lexicon relata, neglecta adhuc et penitus inspicienda atque excutienda, si quis lexicon Latinum saec. XX et XXI componere cupiat. Sed ad Academiae nostrae labores ut revertar, hornotino interfuerunt conventiculo oratores septem qui rem lexicographicam tractarent; quorum orationes una heic divulgandas

IJSEWIJN (usque ad annum 1997) et Th. SACRÉ (an. 1998-2017); Nicolaus GROSS tam in Voce Latina quam in Epistulis Leoninis verborum indices novorum statis intervallis divulgavit; ceterum opusculis a se Latine versis adiunxit interdum indices novorum notabiliumve verborum peramplos: exemplum praeclarum est N. GROSS, Glossarium fragrantiae. Lexicon Latinorum nomen vocabulorumque rariorum recentiorumve, quae inveniuntur in fabula Fragrantiae a Nicolao Gross in sermonem Latinum conversa (...) (Bruxellae, 2004); inquisivit in aliquot verba et locutiones, quae apud auctores Romanos inveniuntur, renatarum litterarum temporibus vi interdum latiore usurpabantur, T. TUNBERG, De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt (Lovanii, 2012), pp. 97-103.

curavimus. Fuerunt alii qui de arguento disputarent historice, atque id quidem ita, ut nobis ostenderent vel quos scopulos in verbis creandis vitandos esse quasve rationes in ea re potissimum esse sequendas olim aestimassent scriptores peritiores, vel quae verba nova a quibusdam litterarum disciplinarumque auctoribus in usum essent inducta. Alii vero huiusce aevi condiciones praecipue respiciebant vel ad necessitates utilitatesque, quae nunc sunt, animum advertebant, non ignari esse res quae suis adhuc nominibus carerent Latinis atque esse ubi nos quoque loquentes scribentesve sermonis Latini egestate quodammodo opprimeremur. Itaque ex his orationibus suos quisque fructus percipere sane poterit. Mihi vero orationes virorum horum peritissimorum auscultanti et verba scriptis mandata postea pensiculanti admirationem moverunt res duae. Altera est quod qui de lexicis conficiendis egerunt, varia admodum ac diversa sperabant novum lexicon Latinum, si quod apparandum suscepissemus, esse complexurum. Alii enim lexicographos sat acturos esse sentiebant, nuda si verba attulissent; alii vero multo uberiora ditioraque requirebant lemmata: necesse esse sententias afferri quae verba nova continerent, ut usus ac vis verborum inde eluceret; significationum umbras esse quam diligentissime adumbrandas; indicandum esse, quis primus verbum novum in usum induxisse esset visus; priusquam nova nomina crearentur, necesse esse in unum corpus congerere quotquot iam extarent verba inde ab aetate renatarum, quae dicuntur, litterarum novata atque typis divulgata: ineptum enim esse nova cedere vocabula, si rebus novis iam responderent verba ab aliis olim proposita; noctuas Athenas non esse mittendas. Alii ergo lexico manuali, quod ad res Latine exprimendas statim esset utile, studebant, alii doctius, ut sic dicam, praeoptabant opus, quod ad Thesaurum linguae Latinae quam proxime accederet. Altera vero res erat haec, quod pars quaedam sodalium, qui conventiculo intererant, quique lexicis quibusdam Latinitatis vel antiquae vel recentioris in lucem producendis antea insudaverant, usu experti, reformidabant labores suscipiendos: rem esse nimis operosam credebant, quaeque diligentiam postularet nimiam; Academiam nostram esse parvam; pauciores reperiri sodales, gravissimum qui onus lexicographicum umeris suis imponere quirent feliciter. Hinc factum est ut, cum ad finem orationum esset perventum, diu in utramque partem disputaretur, aliis spem conficiendi lexici maioris paene abientibus, aliis desperantibus fieri posse ut vel omnia verba non antiqua e thesauro Angeli

Perugini seligerentur, vel Latinae voces recentiores et recentissimae e compluribus lexicis desumptae in unum locum congererentur. Vicit tamen sententia eorum, qui putabant Academiae Latinae, quippe quae Latine loquentibus et scribentibus inserviret quaeque Latinam loquela scriptio nemque Latinam suo ipsa exemplo proveheret, eam provinciam esse decernendam, ut Latinitatis cultoribus instrumenta quaedam lexicographica traderet, sua (Academiae dico) auctoritate comprobata, quorum ope verborum Latinorum thesaurus additamentis necessariis atque huic aevo accommodatis suppleretur atque ditaretur. Ita nobis disceptantibus feliciter nuntiavit Nicolaus Gross, novus Academiae sodalis, haud novus huius agri novis verbis inserendi colonus, abs sese iam dudum parari lexicon Latinum quo permultae res continerentur ad vitam cottidianam, qualis nunc est, relatae; originem traxisse id opus e libro c.t. *The Visual Dictionary* (anno 2011 quartum edito); eum ‘Orbem Latinum Pictum’ intra paucos annos perficiendum pleraque verba complecti, quae opus essent, si quis Latino sermone uti et res cottidianas huiusc aevi satis Latine exprimere vellet; et (id quod haud parvi est momenti) libentissime se operam cum Academia nostra esse sociaturum, immo nihil magis sibi esse in votis, quam ut se sodales vel re vel consilio adiuvarent. Qui tum aderant, ad unum omnes huic incepto plauserunt idque Academiae Latinae sustentandum et promovendum iudicaverunt. Itaque pollicita est ALF, sese non solum pecuniolas esse suppeditaturam ut id opus typis excudi atque in vulgus emitti posset, verum etiam ad opus perficiendum conficiendumque auxilia, qualiacumque ea essent, esse allaturam; dubio procul repertum iri sodales qui lexicographo ei primario adiutores sese adiungerent, verba proposita diligentissime pensitarent et recognoscerent; inde rei toti esse ALF auctoritatem accessuram, indidem facilius fore ut volumen sub auspiciis ALF in lucem prodiret publicam. Atqui sodales, qui conventiculo intererant, tum sunt rogati vellentne operam suam polliceri; statim prodierunt ex iis una mecum Maurus Agosto, Andreas Fritsch, Christianus Laes, Gaius Licoppe. Hic ergo quinqueviratus in tempus (nam plures mox fore sodales confidimus, qui pro sua rerum verborumque peritia operam nobis suam profiteantur) Nicolao Gross pro virili est opitulaturus. Quae omnia spem nobis faciunt, post annos non ita multos futurum esse ut lexicon Grossianum patrocinante ALF editum prostet venale. Ceterum non vana fortasse est fiducia, alterum illud inceptum, progrediente tempore ad effectum adductum iri; nam, ut sunt hoc aevo rebus technicis allata

incrementa ingentia, haud dubie tempus mox erit, cum machinae nescio quae, e multis atque diversis operibus verba secundum normas quasdam seligere, dein et congestam eam molem recte disponere iussae, eis muneribus facilime fungentur. Proinde somnium illud somniare ne desinamus, fore aliquando ut quae verba non antiqua a viris doctis dispersis locis antea sint proposita et composita, ea in unum corpus confluant; hoc enim per velimus omnes, omnia verba nova bene ordinata, sive in librum, sive in sedem quandam retis mundani sint congesta, uno nos conspectu posse videre atque aestimare. At utinam ne obliviscamur, Lathami illius opus, c.t. Revised Medieval Latin Word-List from British and Irish Sources, anno 1965 prodiisse; spatium annorum fere quinquaginta esse interiectum, tum demum (anno 2013) operis maioris, ab eodem viro concepti, editum esse ultimum fasciculum³; nihilo minus opus prius, id est minus, adhuc esse utilissimum. Cum inde a conventiculo peracto septem fere elapsi essent menses, operaे pretium me facturum esse putabam, si interrogassem Nicolaum Gross sodalem, quo loco res ab ipso suscepta iam esset. Qui clare ac dilucide respondit atque ea rettulit unde intellegarem cottidiana illum opera operi perficiendo insudare atque invigilare; ac litterae mihi eius dignae videntur quae heic divulgantur:

03.12.2018 15:51h Theodericus [Sacré] Nicolao [Gross] suo s.p.d.
 Spero te belle valere ac veniam mihi daturum, quod hac te interrogatiuncula interpellem. Hosce enim per dies acta conventiculi, quod erat de verbis novandis et de novo lexico condendo, editioni paravi. Paene in eo est res, ut divulgari queant ea acta. Praefati uncula mihi adicienda: qua de incepto tuo velim narrare, ab ALF sustentato. Fierine ergo possit ut paucis certioreme facias quo in statu sit res, quid inter te et editores sit constitutum, quamve tu operis ingentis partem iam absolvere valueris? Gratissimum mihi feceris, si quid de eis rebus mihi rettuleris! Vale optime!

³ cfr. R. Ashdowne, D.R. Howlett, R.E. Latham, Dictionary of Medieval Latin from British Sources (Oxonii, 1975-2013) – sunt fasciculi XVII. cottidiana illum opera operi perficiendo insudare atque invigilare; ac litterae mihi eius dignae videntur quae heic divulgantur:

PRAEDISPOSITIO ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

d.10. m.Dec. a.2018

Nicolaus [Gross] Theoderico [Sacré] sal.pl.dic.

S.V.B.E.E.V.

Veniam des, quaeso, quod tibi respondeo aliis laboribus paululum retardatus. De statu incepti lexicographicci, cui nomen indidi, q.e. ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS, in praesenti tibi ea scribere valeo, quae infra sequuntur.

1. Agitur de magno lexico perficiendo, cui nomen imposui, q.e. ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS. Scilicet nomine “orbis picti” me alludere ad opus Comenii illustrissimum aliaque opera simili ratione conscripta. Nam nostro quoque opere notiones concretae (non abstractae), i.e. res naturales et technicae, instrumenta et machinae aliaeque res permultae modernae vitae cottidiana monstraruntur picturis⁴. “Hexaglottum” hoc opus dicam, quia in eodem omnis notio denominatur verbis sex linguarum, quae sunt anglica, theodisca, francogallica, hispanica, italiana necnon LATINA.

2. Utor tali opere iam pridem edito picturis et verbis quinque linguarum instructo, cui addo verba linguae sextae, i.e. LATINAE. Titulus operis originalis est «THE VISUAL DICTIONARY». Recentissima editio est quarta, quae est a.2011 facta:

<http://www.qa-international.com/books/visual-4th-edition.php>

Nomen domus editoriae est: LES ÉDITIONS QUÉBEC AMÉRIQUE INC. eiusdem domus editoriae institutum speciale appellatur «QA International» 7240, rue Saint-Hubert Montreal (Quebec), Canada H2R 2NI

3. Oportet tomo primo, cui insunt PICTURAE ET NOMINA RERUM, addi alterum (qui inscribatur TESTIMONIA), cui insunt loci testes et explicationes. Nam sine talibus additamentis philologicis opus non habebit auctoritatem – sit venia verbo – «normativam» ab Academiam confirmandam, quam ut habeat nos exoptamus.

4. DISCIPLINAE RERUM, quorum vocabula in “Visual Dictionary” indicantur, sunt hae quae sequuntur:

I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM – IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII.

⁴ Extant etiam opera eiusmodi ad Latinitatem antiquam quae spectent; cfr., ut exemplum afferam, H. Koller, Orbis pictus Latinus. Vocabularius imaginibus illustratus (Dusseldorpii et Turici, 1976). [Th. S.]

PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.
 VESTIMENTA – X. INSTRUMENTA PERSONALIA – XI. ARS ET
 ARCHITECTURA – XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA
 GRAPHEICA – XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.
 ENERGIA – XV. SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.

Usque nunc ea vocabula in Latinum converti, quae insunt disciplinis I – XI.
 Quae complectuntur dimidiam fere partem totius lexici.

4. DE MODO PUBLICANDI iam breviter tecum per litteras collocutus sum. Tu ipse dixisti de numero exemplorum, quae prima editione essent divulganda, nil certi statui posse, sed probabilem esse numerum quingentorum (500). Scilicet hunc numerum pendere a pretio, quod domus editoria nobis praebebit.

Ceterum nobis deliberandum erit de ratione edendi electronica. Discus compactus vel similis ratio operis electronice condendi videtur esse consentanea.

5. DE VERBIS NOVANDIS. Quia ORBI PICTO HEXAGLOTTO denominabuntur permultaeres recentes vel recentissimae, secundum ipsum Ciceronem oportet novis rebus nova nomina imponere. Praecepta nova verba Latina fingendi a variis auctoribus neolatinis iam pridem data sunt, praesertim a Cardinale Bacci et a Caeleste Eichenseer, cui debemus longe plurima verba Latina subtilissime novata et testimoniis uberrimis confirmata. Postquam hic vir doctissimus deque Latinitate viva optime meritus, a quo Latine loquendo atque scribendo imbutus sum, fatis concessit, studeo eius vestigia secutus Latinitatem novis verbis novandis augere atque ditificare. Interim versionibus meis fabularum indicibusque vocabulorum in commentariis periodicis publicatis complura milia vocabula proposui, quorum alia ipse novavi alia vetustiora, quae in oblivionem ceciderant, reperta proposui.

Abelmoschus est genus plantarum, quod spectat ad familiam *Malvacearum*. Nomen ducitur a seminum odore moscho simili. *Abelmoschus esculentus* est species huius generis, planta quae exorta est in regione montosâ Abessiniae. Frutex est altitudinis duorum dimidiique metrorum, interdum etiam maioris. Fructûs Abelmoschi esculenti sunt capsulati, formâ cucumerum, costis longis, angulis minimè quinque, maximè decem, leviter incurvi, cuspidati. In numerum referuntur holerae, longitudinem assequuntur 25 centimetrorum, crassitudinem 2 vel maximè 5 centimetrorum. Eorum putamina primo colore sunt lucidè vel obscurè viridi, sed interdum etiam rubeolo, sunt tenerâ lanugine obtecta, si maturuerunt, sunt arida et colore fusculo. *Abelmoschus esculentus* est una e plantis holerae ab homine cultis vetustissimis. Quae iam saltim tribus milibus annorum ante ab Aegyptiis culta est ad ripas Nili fluminis, sed seritur iam ex quattuor milibus annorum. Hodie haec planta ferè ubique terrarum colitur ad fructûs comedendos. In Civitates Unitas abelmoschi esculenti allati sunt a mangonibus. Nomen horum fructuum, quod est *Okra*, exortum est in Africâ occidentali, videtur esse ex lingua *Igbo* aut *Akan* sumptum. Plurimum colitur haec planta in Indiâ, Nigeriâ, Sudaniâ. Putamina paucas tantum calorias continentia sapiunt similiter ac fabae virides et ita comeduntur ut cibi holerae.

abolla, -ae f.

428

Umhang – cape – cape – capa - cappa

<https://edicalingo.com/de/dic-en/abolla>: Ad hoc vestimentum modernum denominandum adhibuimus verbum antiquum: *Abolla* fuit vestimentum, quod corpori circumiectum gerebatur a Graecis atque Romanis aetate provectoribus. *Nonius Marcellus* affert verba *Varronis*, e quibus apparet abollam aliter ac togam gestam esse a militibus. At non solum gerebatur in rebus militaribus gerendis, sed etiam in urbibus, praesertim a philosophis Stoicis Romae degentibus. Fuit quodammodo pallium philosophicum. Itaque *Iuvenalis* dicens facinus quoddam esse *maioris abollae* sentit hoc scelus factum esse a philosopho minimae qualitatis. Nomen abollae derivatum est e Graeco sermone: graecum verbum q.e. vel ἀναβολή valet amiculum laneum laxum.

Abrahamus, -ī m.

870

Abraham – Abraham – Abraham – Abraham – Abramo

Abrahamus (hebraicē אַבְרָהָם / Avrahām/Aviram secundum etymologiam popularem: *pater multarum [gentium]*. [Genesis 17,4sq.] quod nomen ducitur a אַבְרָם Avram *pater est augustus*, aramaicē אֲבִרָהָם Abrohom, palaeojiddicē Awroham, arabicē إِبْرَاهِيم Ibrāhīm) est auctor gentis Israeliae et persona ipsius *Tanach* praecipua aut Veteris Testamenti. Abrahamus etiam habetur pro auctore gentis Arabum; ab eius filio Ismaele dicitur ortus esse Mahumetus propheta. Abrahami historia narratur in bibliae libro *Genesis* vel *Bereschit* (Gen 12–25 EU). Secundum hos libros Abrahamus unâ cum filio Isaac et nepos Iacobus refertur in numerum patrum originalium, e quibus exortae sunt duodecim stirpes gentis *Israel*. Cum Iudei et Christiani et Muslimi credant Abrahamum esse auctorem gentis suae, eorum religiones appellantur abrahamitiae.

+abrassāta, -ae f.

884

Oberarmschiene – rerebrace – brassard – brafonera - cannone di braccio

i.q. regula ferrea, quâ equites mediaevoales bracchia superiora obtegabant.

cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHES, Oscar: Illustrirtes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, Erste Abtheilung A-H, Leipzig & Berlin 1877, 2. Abtheilung ibid.1878; 2. Abth., p.754sqq., s.v. Plattenrüstung, p.755: “Armschienen,... latein. abrasata, braceria..”

absorptiō, -ōnis f.

Absorption – absorption – absorption – absorpción - assorbimento

HIER.brev.in psalm.140.

Nomen absorptionis ducitur a verbo absorbendi: absorbeo, -êre, absorbui/absorpsi, absorptum. In disciplinâ physicâ absorptio est receptio undarum aut particularum, quae fit substantiâ absorbenti, e.g. absorptio soni, quae coniungitur cum energiae soni deminutione. – In chemiâ absorptio est receptio atomi aut ionis aut moleculae aut earum solutionis, quae fit aliquâ phasi. In tomo nostro picturato commemorantur p.96 *absorptio per nubes et absorptio per terrae superficiem*, p.102 *absorptio aquae et salium mineralium, absorptio carbonei dioxydati*.

acanthias, -ae m.

148

Dornhai - spiny dogfish - aiguillat commun - mielga - spinarolo

cfr nomen ichthyologicum, q.e. *Squalus acanthias*. – cfr Liddell-Scott, p.47: “ἄκανθίας, ου, ὁ, prickly thing, and so 1. kind of shark, prob. *Squalus acanthias*...”

Squalus acanthias est species canum marinorum (nomen scientificum: *Selachii*, nomina trivialia: *Haie, sharks, requins, tiburones, pescecani*) omnium frequentissima, quae spectat ad familiam *Squalidarum*. Talis piscis cartilagineus est corpore gracili, longitudinali, rostro acuto. Color dorsi et laterum variatur ab obscurê-griseo usque ad fuscum maculasque albas, venter est lucidus. Ante utramque pinnam dorsalem est spina acuta – haec est causa nominis (*acanthias*, ab *acantho*, i.e. spinâ), quae per sulcum coniuncta est cum glandulâ venenosâ. Acanthiae longitudinem assequuntur unius ferê metri, pondus decem chiliogrammarum, raro maioris. Qui pisces vivunt in altitudine marinâ 50, maximê 200 metrorum et prioribus temporibus ferê ubique marium versabantur ingentibus agminibus consociati. Acanthiae aetatem assequuntur plus 20 annorum. Iidem post 10 demum annos pubescunt. Acanthiae feminae hac aetate sunt 75, maximê 90 centimeta longae, mares sexaginta, maximê 80. Post fecundationem internam copulatione factam in acanthiâ feminâ oriuntur capsulae, quibus insunt maximum sena ova. Embryones iam in corpore materno e capsulis ovorum excluduntur et crescent in utero usque ad longitudinem 20 vel maximê 30 centimetrorum. Itaque acanthiae dicuntur esse *ovoviviparae*. Post 18, si tardissimê, post 22 menses nascuntur bini, vel maximê undecim pisciculi.

***acanthodius, -ī m.**

129

Acanthodier - acanthodian - acanthodien - acantodio - acantodi

Acanthodii sunt classis piscium emortuorum, qui fuerunt formae multiplicis. Ratione systematicâ acanthodii spectant ad superclassem *Gnathostomatum* et sunt grex fraternus *Osteichtyum* (piscium osseorum), quibuscum unâ complectuntur taxon *Teleostomorum*. Acanthodii sunt prima Gnathostomata, quorum partes fossiles nobis sunt relictæ, et vixerunt ab aetate silurianâ usque ad permianam. Maximê floruerunt aetate devonianâ. Iam aetate silurianâ inferiore inventae sunt singulæ eorum spinae et squamae fossiles (qui appellantur *ichthyodorulithi*), sed integri acanthodii certi huius aetatis nondum sunt inventi. Nomen horum piscium fossilium theodiscum, quod est «*Stachelhaie*» (i.e. *acanthiae* sive *canes marini spinosi*) refert ad aspectum multorum acanthodiorum canibus marinis similem necnon ad pinnas eorum piscium in margine anteriore spinâ instructas. Sed acanthodii nullo nexus phylogenetico artiore cum selachiis (canibus marinis), speciatim cum acanthiis coniuncti sunt.

***accelerātrum *ēlectroniōrum**

926

Elektronenbeschleuniger - electron accelerator - accelerateur d'électrons - acelerador de electrones - acceleratore di elettroni

Acceleratum electroniorum est instrumentum technicum, quo electronia libera rapidê accelerantur. Talia instrumenta adhibentur in industriâ quaestuosâ necnon in medicinâ ad varios usûs, e.g. ad morbum cancrum radiis curandum, aut directê radiatione electroniorum aut indirectê eo quod scopus x-radiationis iniciatur electroniis.

accēnsiō, -ōnis f.

680

Zündung – ignition – explosion – explosión – esplosione

Est tertium quattuor temporum, quae habet motum autocineti quadritemporale: assuctio – compressio – accensio – expulsio.

accentus, -ūs m.

587

Akzent – accent – accent – acento – accento

P.587 tomi picturati monstrantur tria signa diacritica Francogallorum, quae appellantur accentus gravis (*accent grave*) et acutus (*accent aigu*) et circumflexus (*accent circonflexe*). Habent quidem hi accentûs francogallici nomina et formam antiquorum accentuum graecorum, sed non iam habent eandem vim. Nam iisdem non indicatur, quae syllaba verbi acuatur, sed possunt in uno tantum verbo francogallico duo accentûs indicari, quorum unus tantum potest acui. Hoc

apparet ex exemplis verborum francogallicorum quae sequuntur (accentus verbi indicatur typo crasso): *créé, été, Cléopâtre, créèrent*; verbi temporalis, q.e. *tâcher*, acuitur syllaba ultima, quamvis accentus circumflexus impositus sit primae syllabae.

Aegidius Forcellinius notionem accentū antiquam his verbis explicat quae sequuntur:

Forcellini, p.35: „*Accentus vel adcentus, us, m. (accino, cf. Prosodia). Proprie est cantus vel sonus ad aliquos aut aliquid....2. Grammaticis accentus, ut ait Diomedes 2.p.425 Putsch., est acutae vel gravis vel inflexae orationis elatio vocis intentio vel inclinatio, acuto aut inflexo sono regens verba. Nam ut nulla vox sine vocali, ita sine accentu nulla est. Et est accentus, ut quidam recte putaverunt, velut anima vocis...“*

*accersībulum, -ī n.

621

Pager – pager – télémédecin – buscapersonas - cercapersone

Accersibulum est parvum instrumentum radiotelephonum portabile, quo nuntii transmittuntur aut homines necessitate urgente arcessuntur. Theodisco sermone remissiore appellantur talia instrumenta propter eorum signalia etiam *pipiatores*. Nomen eorum anglicum et theodiscum originaliter spectavit ad ministros deversoriorum (cfr fr. *les pages*). Bene recordor patrem meum ingeniarium machinalem olim (circiter saeculo dimidio ante) in officinae siderurgicae praepositus reparatrinae, extra tempus operandi eius solitum si quod damnum in officinā maius acciderat (e.g. fractura fornacis altae, in quā mineralia ferrea liquefiebant), talis instrumenti sono pipianti arcessitum esse.

accessus, -ūs m.

660

Auffahrt - approach ramp - rampe d'accès - rampa de acceso - rampa

Forcellini 37: »*ACCESSUS vel adcessus, us, m. 4. (accedo) est appropinquatio, cui opponitur discessus et recessus; et aliquid plus significat quam accessio, quae est una tantummodo accedendi actio....II. Translate....2. Interdum accessus sumitur pro loco, per quem aliquo acceditur. SUETON.Caes.58. Explorare accessum ad insulam. Virg.8Aen.229. Omnem accessum lustrare. Adde Flor.1,17,4 et 2,12,15. Auct.B.Afr.5 difficilis ad oppugnandum. Hirtius B.Alex.262. maritimus, pedester. ...Liv.29,27. Dare vela, et alium infra navibus accessum petere jubet....«*

accessus ad libellam operatiōnum secundam

649

**Zugang zur zweiten Funktionsebene - access to the second level of operations - accès au second niveau d'opérations - acceso al segundo nivel de operaciones - accesso al secondo livello di operazioni
i.q. functio quaedam calculatri scientifici.**

accessus ad orbitam

704

**Zugang zum Gleis - platform entrance - accès aux quais - acceso a los andenes - ingresso al marciapiede
i.q. locus, unde accedi potest orbita ferriviaria.**

accessus fontium universalis

642

URL-Adresse (Vereinheitlichter Ressourenzugriff) – URL (uniform resource locator) - adresse URL (localisateur universel de ressources) – URL (localizador universal de recursos) – URL (localizzatore universale di risorse)

Accessus fontium universalis est inscriptio interretialis definita, quā indicatur, quo loco servītri (**servītrum i.q. angl. server*) positum sit aliquod archīum (*angl. file*) idemque advocatur. Tales accessūs navigatio telae (*webbrowser*) induntur, ut accedantur documenta telae indita aut forma hyperligaminum (**hyperligamen i.q. hyperlinks*) documento imponuntur. Sermone communi accessūs fontium universales appellantur *inscriptions interretiales* (*web addresses*).

accessus illuminatiōnis

605

**Zugang zur Beleuchtungsanlage - lighting grid access – accès à la grille d'éclairage – puerta de acceso a la rejilla de la luces – accesso alla griglia di illuminazione
i.q. ianua officinae radiotelevisificae, per quam accedi possunt instrumenta lucifica.**

accessus mancōrum

856

Zugang für Behinderte – access for physically handicapped – accès pour handicapés physiques – acceso para minusválidos – accesso per i portatori di handicap
i.q. aditus, per quem locus accedi potest sellâ subrotatâ.

accessus stabulī autocinēticī

328

Auffahrt – drive – entrée de garage – acceso – vialetto di accesso
i.q. semita, per quam autocinetum in stabulum vehitur

accessus vāsculāris

927

Gefäßzugang – vascular access – accès vasculaire – acceso vascular – accesso vascolare
i.q. locus, quo uter cum machinâ dialyticâ coniunctus accedit ad vasculum hominis patientis sanguinarium.

acclīvitās exterior

505

Kontreescarpe, äußere Grabenfuttermauer – counterscarp – contrescarpe – contraescarpa – controscarpa
 acclīvitās exterior [LAVATER, Hans Conrad: Kriegsbüchlein, Zürich 1667]; dēclīvitās fossae exterior [HOFMANN, Andreas: Disputatio mathematica architecturae militaris naturam & potiorum ejusdem terminorum nomenclaturam sistens, Lipsiae 1698, s.v. contrescarpe]

Acclivitas exterior est notio architecturae militaris. Quae est aut agger aut murus exterior, quo sustinetur humus in eo latere fossae, quod aedificio militari est adversum. Agger aut murus interior est acclivitas interior.

acclīvitās interior

505

Eskarpemauer - innere Grabenfuttermauer - scarp – escarpe – escarpa - scarpa

[LAVATER, Hans Conrad: Kriegsbüchlein, Zürich 1667]

Acclivitas interior est notio architecturae militaris. Quae est aut agger aut murus interior, quo sustinetur humus in eo latere fossae, quod aedificio militari est adversum. Agger aut murus interior est acclivitas interior.

acclīvitās montis

71

Berghang – mountain slope – versant – ladera – versante

+accordum, -ī n.

563

Akkord – chord – accord – acorde - accordo

Accordum in musicā fit, si minimum tres toni varii simul sonant, qui haberi possunt pro harmonicis.

Etymon. - Notio **accordi** derivatur a verbo francogallico, q.e. *accord* (quod significat *consensum, sensuum aequalitatem*, deinde etiam *[musicum] concentum*), quod ipsum derivatum est a verbo Latinitatis vulgaris, q.e. *accordare* et valet *adaequare, accommodare* (a Latino verbo, q.e. *cor*). Praeterea iam ex aetate Latinitatis senioris ad hoc verbum valuit Graecum verbum, q.e. **χορδή**, i.e. **fides, chorda'** et fortasse auxit usum verbi musicum. Originaliter haec notio valuit *aequisonantiam*, i.e. eiusdem toni affectionem in variis chordis sive fidibus. Hôc sensu iam a.1619 adhibita est a *Michaële Praetorio*. A.1732 demum haec notio habet sensum *concentū variorum tonorum*, qui potest etiam referri ad concentum seriei tonorum superiorum unius toni singuli.

accordum scissum

563

Arpeggio – arpeggio – arpège – arpeggio - arpeggio

est accordum, in quo singuli toni non simul, sed unus post alterum (brevibus interspatiis) efficiuntur. Verbum italicum, q.e. *arpeggio*, dicitur ab *arpa*, i.e. harpa (nomen instrumenti musici) et valet accordum esse efficiendum quasi in harpâ, i.e. unum tonum post alterum.

*accumulātrum, -ī n.

389, 394,613,679,684

Akku - battery pack – bloc-piles – bateria – batteria

[cfr Eichenseer, Vox Latina 1976, p.224: *accumulatorum*]

Accumulatum est elementum galvanicum reonerable, quod constat ex duabus electrodis et uno electrolyto et energiam electricam condit ratione electrochemicâ. Unum elementum conditorum reonerable appellatur *elementum secundarium*

sive *cella secundaria* et contrarium est cellae *primariae*, quae non aut parum est reonerable. Actio onerandi posita est ex conversione electrolyticâ reactionum chemicarum, quae fiunt in deoneratione, si tensio electrica apponitur.

acer, aceris n.

119

Ahorn - maple - érable - arce - acero

Est unicum Latinum nomen arboris antiquum, quod non est generis feminini, sed neutrius generis.

Est arbor frondifera. Aceras spectant ad genus plantarum et subfamiliam *Hippocastanoidearum*, familiam *Sapindacearum*. Sunt acerum minimè 110, maximè 200 species. Quae in regionibus temperatis et tropicis Eurasiae, Africæ borealis, Americae centralis borealisque passim inveniuntur. Multae species acerum ab homine adhibentur ad varios usus. - **Conspectus.** - Exceptis duabus speciebus acera sunt arbores aut frutices aestate tantum virides. Folia in ramis adversè posita constant e petiolo et laminâ. Lamina plerumque simplex et in formam manū lobata est. Nonnullae species aceris habent laminas imparipinnatas tribus vel quinque foliolis instructas, e.g. *Acer negundo*. Nervatura est formae manū. Margo folii est laevis aut denticulatus. Nulla sunt folia secundaria. Frondes multarum specierum saturo colore sunt autumnali. - **Syrupus acerneus** est sucus *Aceris sacchari* incrassatus. Qui saporis est caramello similis et imprimis utilis est ad crustula dulcia furno coquenda et ad glaciem edibilem conficiendam. Syrupus acerneus praecipue in Canadâ et Civitatibus Unitis adhibetur ad cibos dulcorandos.

acētāria, -ōrum n.pl.

292

salate – salads – salades – ensaladas - insalate

Acetaria sunt cibi frigidi et bene conditi aut fructuoso-dulces. Acetaria constant ex holeribus dissectis et/aut pomis aliisque additamentis; cum liquamine parantur et ferè semper frigidè apponuntur (paucis exceptis). - Varia genera distinguuntur compositione aut modo conficiendi, e.g. acetaria ex holeribus crudis aut coctis confecta. - Ad acetaria confienda adhibentur liquamina specialia. Loco liquaminum magonicorum more traditorum magis magisque adhibentur liquamina energiae deminutae (liquamen iogurthi, aceti et olei et herbarum, liquamina lycopersicorum). In ordine cenae acetaria minus habentur pro ferculo proprio, sed potius pro additamento aut promulside aut cibo intermedio.

acētūm, -ī n.

287

Essig – vinegar – vinaigre – vinagre – aceto

Acetum est liquor saporis acidi ad cibos condiendos et conservandos aptus, qui fabricatur eo, quod liquores alcoholici bacteriis *acidi acetici* fermentantur. Acetum est solutio acidi acetici aquatica. - Fabricatio aceti est una ex hominum virtutia fabricandi methodis vetustissimis. - In arte cosmeticâ acetum adhibebatur ad corpus purgandum et disinfectendum necnon ad morbos cutis pertinaces curandos. In claritudinem pervenit *acetum florum violae* Imperatricis Austriacae (ex a.1854, quae a fratribus sororibusque appellabatur Sissi). Hodie acetum praecipue adhibetur ad cibos condiendos conservandosque.

acētūm album

287

Weißweinessig – white vinegar – vinaigre blanc – vinagre blanco – aceto bianco

Ut vinum album, ita album acetum est coloris lucidi, mitis saporis. Quod acetum aptum est ad liquamina lucida et holera, sed etiam ad cibos dulci-acidos condiendos. Acetum album fabricatur ex vino albo. Itaque modus eiusdem fabricandi praescribitur lige vini albi. Acetum album oportet habeat portionem acidi minimam 6% (sex partium pro centum). Omni casu respiciendum est, ut acetum album adhuc contineat alcohol reliquum circiter 1,5% (unius – virgula – quinque partium pro centum). - Qualitas aceti pendet a genere vini, quod adhibetur ad idem fabricandum. Aceta simplicia fabricantur e vino mensali. Aceta alba certi generis vini puri multo cariora sunt, sed saporis sunt genuini et pericundi. Pro genere uvarum aceta excellentissima sunt savorum inter se valde differentia. E.g. veneunt aceta alba ex *uvis Rieslingianis* aut *Grauburgundianis* fabricata. - Aceta alba spectant ad aceta fermentationis, quae fabricantur fermentatione *acidi acetici*. Aceta alba saepe aromatibus mutantur, quo ipsa potius sunt substantiae basicae, quae adhibentur ad nova aceta confienda.

acētūm balsaminum

287

Balsamessig - balsamic vinegar – vinaigre balsamique – vinagre balsámico – aceto balsamico

2. cfr ThLL 2,1709. 72sq.: *balsaminus*, -a -um a balsamum. PLIN.nat.23,92 *oleum balsaminum* longe pretiosissimum omnium. 1,28,47.

Acetum balsaminum, quo est sapore dulciolo-acidulo et colore obscurè fusco typico, refertur in numerum acetorum omnium gratissimorum maximè multiplicium. Quo aceto delicatiora fiunt acetaria, oxyalmae, esculenta carnea,

holera, quae assantur craticulae imposta, immo vero, ipsi cibi dulces, velut tales, qui fraga continent. ***Ecce aurum Italiae nigrum!*** - Acetum balsaminum multis in coquinis habetur pro condimento fundamentali. Tamen paucissimi tantum homines umquam gustaverunt acetum balsaminum verum.

acētūm mālinūm

287

Apfelessig – cider vinegar – vinaigre de cidre – vinagre de manzana - aceto di mele

Acetum malinum oritur ex vino malino. Vinum autem malinum oritur, si sucus malinus recenter expressus fermentatur. Hac fermentatione saccharomycetes saccharum mālorum âère absente mutant in alcohol. Si hoc vinum malinum nunc conditum calidē et apertē, ut bacteria acidi acetici in eodem bene se habeant, haec bacteria oxygenio adiuvante alcohol ita fermentant, ut fiat acidum aceticum – qui processus fit per complures septimanas. Deinde habemus acetum malinum naturaliter turbidum et vivacissimum.

Hac autem in re memoratu est dignissimum acetum malinum post prandia glycaemiae magnae (e.g. poma terrestria contrita) utile fuisse ad postprandiale portionem sacchari sanguinariam deminuendam, sed post prandia glycaemiae minoris (e.g. panis granosus cum acetariis) portionem non esse mutatam. Ergo hoc acetum in hominibus diabeticis aut insulino resistantibus non generaliter diminuit portionem sacchari sanguinariam, sed moderatum est leniter. **En Naturam Matrem sapientissimam! Quae insignis est virtute illâ cardinali, quam Graeci vocant σωφροσύνη, Romani temperantiam.**

acētūm +maltōsum

287

Malzessig – malt vinegar – vinaigre de malta – vinagre de malta - aceto di malto

Acetum maltosum – nimirum – fabricatur *bracibus* (ut ait Plinius) sive *malto* (ut aiunt auctores aetatis mediae). Grana hordei, quae germinaverunt, adhibentur in cervesiâ braciandâ. Acetum maltosum, ut ita dicamus, sapore quo est nucino atque austero, oportet nos comitetur varia esculenta piscina comedentes. Nonnulla genera aceti maltosi primae qualitatis non ex cervesiâ, sed directê e malto fabricantur, ideoque saporis sunt magis maltosi. In Germaniâ acetum maltosum minus notum est parumque accessibile, sed in Britanniâ magnâ est inevitabile omnibus, qui comedunt pisces cum assulis pomorum terrestrium, quibus condiendis acetum directê infunditur.

acētūm oryzāceum

287

Reisessig – rice vinegar – vinaigre de riz – vinagre de arroz - aceto di riso

Quod acetum saepissimè adhibetur in coquinâ asiaticâ. Idem est mitis saporis, dulcioli, naturaliter oryzacei – cum fabricetur ex ipsâ oryzâ. Cum sit acetum mite, aptum est ad varias oxyalmas, liquamina, embammata conficienda iisdemque quandam dat saporis profunditatem. Multa sunt genera aceti oryzacei, conditi et non conditi. Acetum oryzaceum conditum solet adhiberi ad cibos condiendos, velut cibum oryzaceum typicê iaponicum (*sushi*) et continet salem saccharumque additum. Acetum oryzaceum non-conditum est acetum oryzaceum, ut ita dicamus, classicum, quod fabricatur ex vino oryzaceo fermentato. Gratissima sunt genera aceti oryzacei sinica, iaponica, coreanica, sed verisimile est ea, quae tu in supermercatu invenies, esse originis sinicæ vel iaponicae.

acētūm vīnāceum

287

Weinessig – wine vinegar – vinaigre de vin – vinagre de vino - aceto di vino

De aceto vinaceo si mentio incidit, verisimile est nos primo cogitare de aceto vini rubri et albi – sed emi potest etiam *acetum vini spumosi!* Acetum vini rubri est saporis genuini atque multiplicitis, fructuosi atque bene conditi. E contrario acetum vini albi est saporis aciduli atque vivifici. Utrumque acetum vinaceum aptissimum est ad liquamina, qualia sunt *Vinaigrette* et *Bernaise* et *Romesco*. Acetum vinaceum semper est fidele acetum subsidiarium, si quod acetum speciale in promptu non habes. - *Acetum Ceretanum* fabricatur ex vino Ceretano, vino Hispaniae australis illustrissimo, cui nomen est *Sherry*. Quod aliquatenus simile est Italorum aceto balsamino, quia pro aetate et fabricatione saporis est vehementer varii et protegitur sigillo D.O.P. Varia genera uavarum Hispanica adhibentur ad eius saporem unicum efficiendum. Hoc acetum maturescit in doliis ligneis, minimè per sex menses, maximè per decem annos, insigne est colore caramellino, consistentiâ liquidâ. Acetum Ceretanum saporis est unici, nucini, amabilis, qui quadrat ad pleraque pracepta coquendi mediterranea et vasconica – e.g. ad esculenta fabarum uberrima, saturas lances sapidissimas, cibos contritos cramosos. Conare, ut semper, abstinere omnibus additamentis non necessariis. - Loco aceti vini rubri licet adhibere Ceretanum aut malinum, loco aceti vini albi acetum vini spumosi aut essentiam aceti.

***achaena , -ae f.**

114

Achäne – achene – akène – aquenio - achenio

Achaena (graecē χαίνειν ,hiare' cum alpha privativo, ergo i.q. *non hiare*) in disciplinā botanicā appellatur genus *cleistocarpiorum* (fructuum clusilium) nucibus similiū. - Achaenae sunt cleistocarpia unius seminis (non aperiuntur mātūrātā), in quib[us] *tenue pericarpium* in uno tantum puncto adhaerens, tenax, aridum (paries fructū partim tantum est līgnificatus) unum semen (*testa*) circumplexitūr dēnsē adiacens. Exempla typica sunt *Helianthus*, sed etiam semina *Fragariae vescae*.

achondrītēs, -ae m.

18

Achondrit – achondrite – achondrite – acondrito - acondrite

Haec notio spectat ad mineralogiam et astronomiam. **Achondritae** (graecē ἀ, i.e. ,in-, sine', et χόνδρος, .granum, *glaebula*') sunt meteoritae lapidei, qui contra ac **chondritae**, qui sunt multo frequentiores, nullos aut paucos tantum *chondros* continent. **Chondri** sive *chondruli* sunt globuli silicatis (silicas, atis est sal acidi silicici), qui massae granorum subtili sunt impositi. Chondri iam a.1802 a *Jacobo Ludovico de Bournon* (1751-1825) descripti appellati sunt *globules curieux*. Nomen chondrorum a.1869 a *Gustavo Rose* in Museo Mineralogico Universitatis Humboldtianae introductum est.

acicula capitāta

568

Stecknadel – pin – épingle – alfiler – spillo

Acicula capitata praecipuē adhibetur ad duo textilia inter se affigenda, antequam consuuntur. Quae acicula in eā parte extreñā, quā digitis tenetur, instructa est capite, quo facilius apprehendatur et impediatur, ne per textile perlaboratur. Praeter alios usūs aciculae capitatae e.g. adhibentur ad scidulas tabulae affigendas. - Aciculae capitatae solent confectae esse chalybe obduratā, hodie plerumque sunt metallo nicolo obductae, quo contra ferruginem protegantur. Aciculae aluminio aut ferro molli confectae facile deformantur, sed forcipe dissectoriā facile possunt curtari. - Sunt etiam acūs capitatae plus 5 centimetra longae. Aciculae capitatae perquam subtiles, 2 tantum centimetra breves, adhibentur ad camisiam virilem super chartam spissam extendendam, antequam eadem camisia inditur sacco pellucido, qui est involucrum venditorium. - Caput aciculae coaxiale potest confici ex metallo, quod est formā lenticulae ideoque patiens est ictūs malleoli. Sed caput potest etiam confici ex sphærulā vitrē, quae nullum ictum durum patitur. Fabricantur quoque capita materiā artificiali affusā in formam globuli aut guttae redactā. -

acicula carneā

276

Filetscheibe – aiguillette – aiguillette – cuadril – aiguillette

Aciculae carneae appellantur laciniae carnis longae et subtiles ex pectore volatilium domesticorum aut ferorum. *Martinus Walker* coquus e.g. commendat praeceptum coquendi, quo tales laciniae carneae condianturLacus : **Aciculae anatinæ melle et sinape conditæ**.

***acidificatiō lacuum**

98

Seenversauerung – lake acidification – acidification des lacs – acidificación de los lagos - acidificazione dei laghi

Lacus dicitur acidus vel leviter acidus esse, si eius pH (potestas hydrogenii) est infra punctum neutralitatis (< 7). Effectūs biologici graviores apparent, si pH est infra 5,5 (pH < 5.5). Lacus acidificatur causis aut *naturalibus* aut ab homine effectis (*anthropogenicis*). Lacūs *naturaliter acidi* siti sunt prope *uligines turfaceas* in regionibus septentrionalibus (praecipuē in Russiā, Canadā, Civitatibus Unitis, Scandinaviā). Uligines turfaceae emittunt acida organica, quibus lacūs acescant. Multi lacūs huius generis a piscibus vacant. - Lacūs *ab homine* acidificantur e.g. pluviā acidā, quae efficitur gasis, praesertim sulphureis, quae exorta sunt ex causimis fossilibus (carbone, petroleo) comburendis. Gasa, quae vim maximam habent ad lacūs acidificandos, sunt *sulphur dioxydum* (SO₂), quod aquā solutum fit *acidum sulphuricum* (H₂SO₄) et *oxyda nitrogenii*, ex quibus aquā solutis oritur *acidum nitricum* (HNO₃), et *chlorida*, quae aquā soluta fiunt *acidum hydrochloricum* (HCl). Hae substantiae formā gasorum emissae transportari possunt per longas distantias, usque dum attingunt terram aut siccae aut umidae.

acidum *acetylo-salicylicum

915

Acetyl-Salicylsäure – acetyl salicylic acid – acide acétylsalicylique – ácido acetilsalicílico – acido acetilsalicílico

cfr Gerhard Ahrens, Medizinisches und naturwissenschaftliches Latein, Leipzig, 1.ed., a.1988,p.178, §550a: "Acidum acetyl(o)salicylicum Acetyl salicylsäure"
i.q. → aspirinum (*hoc est nomen commerciale!*)

acidum nitricum

98

Salpetersäure – nitric acid – acide nitrique – acido nitrico – acido nitrico

Acidum nitricum (HNO₃), est nitrogenii acidum oxygenicum notissimum et stabilissimum. Quod acidum ex anno 1908 in magnis officinis chemicis secundum *methodum Ostwaldianam* fabricatur ammoniaco catalyticē oxydando. Ammoniacum antea secundum *methodum Haber-Boschianam* fabricatur ex oxygenio aeris et hydrogenio. - Sales acidi nitrici appellantur *nitrates*. Acidum nitricum, quod est forte acidum anorganicum et refertur in numerum acidorum mineralicorum. Hoc acidum purum coloris expers est, odoris acriter pungentis. Idem adhibetur ad laetamina, pigmenta, materias displosivas fabricandas.

acidum sulpuricum

98

Schwefelsäure – sulphuric acid – acide sulfurique – ácido sulfúrico – acido solforico

Schwefelsäure est sulpiris coniunctio chemica; eius formula summaria est H₂SO₄. Quod est liquor coloris expers, oleosus, valde viscosus, hygroscopicus. Acidum sulpuricum est unum ex acidis fortissimis et habet effectum causticum.

aciēs, -ēī f.

298,306,568

Schneide – cutting edge – tranchant – filo - filo

1031

Schneide – edge – carre – canto - lamina

aciēs dīhelicoīdālis

394

Schlangenbohrer mit doppeltem Gewindegang - double-twist auger bit - mèche hélicoïdale à double torsade - broca salomónica de canal angosto - meccchia a doppia elica

Acies dīhelicoīdāles sunt instrumenta fabrilia, quibus lignum terebratur. Quae sunt, si comparas cum aliis terebris lignariis, longiores ideoque in parte media, ut scobes melius efferatur, similiter constructae sunt ac cochlea Archimedis.

aciēs fīxa

537

festgestelltes Messer - fixed blade - lame fixe - cuchilla fija - lama fissa

aciēs helicoīdālis

394

Schneckenbohrer - solid centre auger bit - mèche hélicoïdale à âme centrale - broca helicoidal central - meccchia a tortiglione

Acies helicoīdālis est simplex instrumentum fabrile, quo lignum aut totum perforatur aut ita foratur, ut foramini acie helicoīdali effecto postea inseratur cochlea.

aciēs īferior

539

Fußsteg – tail edge – tranche de queue – canto del pie – taglio inferiore

In arte typographica acies sunt eae partes paginae, quae typis sunt liberae. Sunt enim acies superior et inferior et duae laterales.

aciēs lāminaē

477

Schneide - cutting edge – tranchant – filo - filo della lama

aciēs mōbilis

537

Obermesser – cutting blade – lame mobile – cuchilla móvil – lama di taglio

aciēs palacea

394

Flachfräsböhrer - spade bit - mèche à centre plat - broca de pala - meccchia a lancia

Acies palaceae sunt instrumenta machinae terebratoriae manuali imposita.

aciēs sectōria

758,760

Schneidkante – cutting edge - bord tranchant - cuchilla de corte - tagliente

aciēs *trypanostrophī

394

Schrauberbit – screwdriver bit - embout de vissage - broca de atornillado - meccchia

*Acies *trypanostrophii* est instrumentum fabrile est lamina cochleostrophii manubri expers, quae est permutabilis.

acīnacēs, -is m.

886

Säbel - sabre - sabre - sable - sciabola

ThLL 01,413,47-61 I) p. 544, 3. V. acīnacēs, -is, m. ἀκινάκης. PORPH. Hor. carm. 1,27,5 gladius Parthicus, sed nunc pro omni gladio positum. GLOSS. IV 477, 33 pugio Part<h>icus. V 339, 26 acinaces gladii (sic). *hucine pertinet* IV 215, 32 canaceum gladium (κάνακης Hesych.)? cf. V 494, 9 caucem 5 gladium. POMP. gramm. V 284, 23 acinaces dicimus lingua Medorum gladium cf. CONSENT. gramm. V 886, 25 et HoB; *paullo infra. nomin.*: acinaces: FLOR. epit. 2, 21, 3 (IORD. Rom. 252) POMP. l.c. CONSENT. gramm. V 364, 9 GLOSS. nota: HOR. carm. 1, 27, 5 Medus acinaces F L, acinacis cett. PORPH. ad l. gen.: CVRT. 3,3, 6 vaginam acinacis Persicam. acc: acinacem: CVRT. 3, 3,18. 7,4,19. 8, 3, 4. 10,1, 31. ARNOB. nat. 6,11 ridetis temporibus priscis... coluisse... acinacem Scythiae nationes. acinacen: TAC.ann. 12,51 ITIN. Alex. 9 (anicen cod.). abl.: CVRT.4,15,30 acinace stricto (5,9,10). VAL.FL.6,701 insignis manicis, insignis acinace dextro. & v. Droysen, PW. 11168. Diehl.

FORCELLINI: ĀCĪNĀCĒS, is, m. 3. (ἀκινάκης) *gladius Persarum, sive Medorum, et Scytharum proprius, brevior* (ξιφίδιον vocat *Pollux* 1. 10.) *et Romanorum pugnioni similis, retro tamen aliquantum curvatus, qui aptabatur femori, et fortasse etiam dextero, non sinistro*, ut *Lips.* 3. *Dial.* 1. *Analect.* ad *Milit. Rom.* innuere videtur. Hinc *Val. Flacc.* 6. 701. Insignis manicis, insignis acinace dextro. *Curt.3.3.18.* Vaginam acinacis Persicam mutari jussisse in eam formam, qua Graeci uterentur. *Horat.* 1. *Od.* 27. 5. Vino, et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat! ¶ 2. Acinacem coluisse tamquam Deum Scythicas nationes narrat *Arnob.* 6. p. 196.

Acinaces est leve telum caedendi et pungendi. Acinaces classicus fuit incurvus et uno tantum latere samiatus. Hoc fuit telum typicum equitum levium, velut husarorum. Hodie acinaces adhibetur in digladiatione athleticâ. At is nomine excepto vix aliquā re similis est illis telis historicis.

*acīnonyx, acīnonycis m.

181

Gepard - cheetah – guépard – guepardo - ghepardo

etymon. Hoc nomen scientificum a.1828 a zoologo Britanno nominis *Joshua Brookes* confictum est. Duea explicaciones a Rosevear indicantur:

1. ex verbis graecis, quae sunt: ἄκιντνα ‘spina’ et ὄνυξ ‘unguis’; quae explicatio spectat ad unguis huius bestiae vaginis non circumdatos;
2. ex verbis graecis, quae sunt: ἀκίνητος ‘immobilis’ et ὄνυξ ‘unguis’; quae explicatio spectat ad unguis, qui falso credebantur non esse retractiles. (v. D.R. Rosevear, *The Carnivores of West Africa*, London, Natural History Museum, 1974, p.492).

synonymon. lycāōn, -ōnis m. [PLIN.nat.8,123] cf. Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.160, s.v. Lycaon: Leitner dicit descriptionem Plinii breviorem esse, quam ut species huius bestiae zoologica possit determinari: ‘*Mutat colores...nec aliud...nisi in Indis lycaon, cui iubata traditur cervix.*’ Steirerum putare *Lycaonem pictum* (i.e. theodisce «*Hyänenhund*») a Plinio hōc loco commemorari; sed tales canes, qui essent luporum magnitudine, habitare in tesquis africanis, quae sita sint in directione australi a deserto, quod appellatur *sahara*. Cum Plinius indicet Indiam esse patriam lycaonis, Leitner assentitur Cuviero, qui dicit lycaonem Plinianum fuisse subspeciem *Acinonyx asiaticus* (*Felis iubata* = *Acinonyx iubatus* ssp. *venaticus* = *Cynailurus iubatus*, Brehm). Ceterum hanc bestiam in cervice habere capillos longiores quam in corpore reliquo; hoc congruere cum verbis Plinianis: *iubata cervix*.

litteratura. Michael Hirschler, De acinonyce iubato apud Graecos antiquos alito, Vox Latina 203 (2016), p.110-121.

Acinonyx iubatus est animal mammiferum rapax, quod praesertim vivit in Africâ et spectat ad familiam Felidarum. Quae bestiae ratione venandi specialiter exculta insignissimae sunt omnium huius mundi bestiarum terrestrium velocissimae. Plerique acinonyces vivunt in Africa, sed olim tales bestiae inhabitaverunt regionem, quae pertingebat ab Africa boreali per Asiam centralem usque ad Indiam. At hodie asiatica subspecies (*Acinonyx jubatus venaticus*) tantummodo invenitur in Iraniâ idque rarissimè: Cuius in terrae asiaticae parte boreali computantur esse minimum 60, summum 100 individua huius subspeciei. Nonnulla eorum instructa sunt torquibus electronicis, quibus inveniantur. - **Structura corporis.** Pellis acinonycis colore est aureo-flaveolo, in parte ventrali plerumque insigniter lucidiore. Quae conspersa est maculis nigris, quae insigniter minores sunt quam maculae leopardi nec efformant formas rosularum. Facies est obscurior et immaculata, sed duabus virgis nigris, quae pertingunt ab oculis ad angulos oris (*virgae lacrimarum* quales dicuntur). Quatenus spectat ad maculas, acinonyx leopardo est similis, sed statura ab eo valde differt necnon ab omnibus felidis ceteris. Acinonyces sunt pedibus perlóngis et tenuibus et corpore valde gracili, quod

persimile est corpori canis vertragi. Caput acinonycis est parvum et rotundum, cauda longa. Brancae eorum gerunt soleas crassas et squamatas; falculae retrahi non possunt nisi condicionaliter (inde nomen videtur confictum esse, sed quidam zoologus dicit retractilitatem unguium nullo modo esse deminutam, v. supra s.v. etymon!) Propter structuram corporis acinonyx est animal terrestre omnium velocissimum.

CARMINA HODIERNA

A RADULFO LAVALLE BONAERENSI COLLECTA



Edidit Radulfus
ab Urbe Bonaerensi

Si vis ad nos scribere:
raullalavalle54@gmail.com

nº 9 – 2022

ÍNDICE

Presentación	p. 3
<i>Martinus et novi anni salutatio</i>	p. 4
<i>Los dos primeros poemas “de bello Ucraniano” que conozcop.</i>	5
<i>Un poema de Tuomo Pekkanen sobre la guerra de Ucrania</i>	p. 7
Photographemata	p.
Pipilationes	p.
Minutiae felices	p.


PRESENTACIÓN

Amice carissime

Primum omnium, una aclaración muy necesaria. El primer número de esta publicación electrónica se llamó *Poesis Latina hodierna*. Como soy viejo, con bastante frecuencia me olvido de las cosas. En este caso, se trata del sitio de la Red POESIS LATINA HODIERNA (<https://www.suberic.net/~marc/poesislatina.html>) hecho ya hace tiempo por el estadounidense Marc Moskowitz, a quien envié una *epistula electronica* con pedido de disculpas. Fue una falta grave de mi parte (yo mismo había publicado en ese sitio). Lo único que puedo decir en mi defensa es que no tuve mala intención (*error, non scelus*). Entonces, a partir de ahora, si bien mantengo la numeración uno para el número de título fallido, este modesto trabajo se llamará *Carmina hodierna*. En fin, en él quiero escribir –y también dar a otros la oportunidad de hacerlo– poesía en latín. Sé que no soy un gran poeta, pero creo que escribiendo aprendo: *scribendo scribere discimus*.

Deseo agradecer muy especialmente al profesor Mark Walker, de Inglaterra, quien con su revista electrónica *Vates: The Journal of New Latin Poetry*, ha sido mi inspirador, aunque mis medios y mi eficiencia no pueden compararse con sus enormes méritos (es autor de varias publicaciones; entre ellas, *Hobbitus ille*, traducción de *The Hobbit* a nuestra lengua madre).

Me gustaría que me acompañaras en este *labor infimus*. Tuus,
Radulfus



MARTINUS ET NOVI ANNI SALUTATIO

Heus, nouus annus adest! Ianum saluere iubete,
 ut ferat, optantes, nil nisi fausta deus!
 Quid dabit incipiens mortalibus annus iensque?
 Pestis ut ante furet diffugietne lues?
 Vitane reddetur nobis, qualis prius acta est,
 ut queat egelido mens bona uere frui?

MARTIN FREUNDORFER

Siempre es grato recibir los poemas que nos envía Martinus; en este caso, da inicio al presente número con el recuerdo del viejo dios Jano, quien, como bifronte, miraba hacia adelante pero no podía dejar de mirar atrás. Es especialmente entendible en estos días, porque quizás veamos, muy a lo lejos, el final de la pandemia política... pero no estamos tan seguros: políticos, médicos y adivinos no son tan buenos anticipando el futuro. Nuestro amigo dice “furet”, que, si bien tiene como sujeto la furia loca de la peste, según mi interpretación tiene un “sujeto tácito”, la furia de los políticos por encerrarnos y por no saber afrontar las consecuencias de la libertad. Quiera Dios que el bien triunfe sobre el mal, que a veces parece más que privación del bien. [Radulfus]



LOS DOS PRIMEROS POEMAS DE BELLO UCRAINO QUE CONOZCO

No suele ser esta revista un espacio apto para la política pero, como suele decirse, casi todo se relaciona con ella. Pasó y sigue pasando con la pandemia... y ahora con la guerra de Ucrania. Pues bien, nuestro amigo austriaco Martin Freundorfer envió ayer a sus contactos este epigrama *ad istud*.

Mars furit effundens calidum super arua cruem
 et populus fugiens horrida tela timet.
 Mars furit et feriunt missilia fulmina tecta
 et strepitus pugnas indicat esse graues.
 Mars furit et prompte fortissimus incola pugnat
 aggressisque necem callidus igne parat.
 Mars furit et quaero, quid gens uisura sit icta,
 omnia cum uastent arma domusque flagrent.

Creo que Martin tiene razón, cuando dice en los últimos versos que todos tenemos gran incertidumbre, ante las imágenes de devastación. Y el viejo dios Marte sigue siendo símbolo de los dolores que traen *arma virique*. Pero el mismo día 28 de febrero de 2022 me envía un soneto el escritor argentino Alfredo Bernardi: “Tryzub: Canto a Ucrania.”

Bajo la extensa hierba cimentada
 corre un río de sombras escondido.
 Un pan de trigo y cielo enfrenta unido
 al dolor de caer en la celada.

Sangra infasta una patria lastimada
 porque el zar de la guerra ha decidido
 abatir al tridente que aun herido
 podrá clavar su lanza castigada.

Un imperio destruye sin piedad
 mil girasoles y llanuras vivas
 con el áspero alud mortal del fuego.

Encadena a la endeble libertad
 en el mar de terror de las ojivas
 y la vasta codicia de su ego.

Lo primero, trato de remediar mi ignorancia. En efecto *Domina Vicipaedia* me enseña: “Aún no se ha determinado con exactitud el origen y la significación del *Tryzub* o ‘tridente ucraniano’ aunque parecería estar ligado a una paronomasia (siempre en ucraniano) entre la antigua palabra para libertad y la palabra para tridente. Así es que esta abstracta figura o simbolización es denominada comúnmente el tridente (en ucraniano: *Тризуб*, **Tryzub**).”

Pero me surge aquí un problema, pues mi modestísima revista está dedicada a poesía latina actual: y Alfredo me envía, para conocimiento personal y no para su publicación, algo que tiene que ver con uno y con tres (*poesía y actual*), no con dos (*latina*). No obstante, creo que no hice mal en pedir a mi amigo autorización para publicarlo aquí. Veamos; en el título hay una palabra ucraniana, que se escribe con unos caracteres que provienen del alfabeto griego, lo cual sí se relaciona con *Carmina hodierna*. Por otro lado, el soneto cierra con *ego*, voz latina que es cotidiana en muchísimas lenguas. Además varios conceptos fundamentales del soneto son latinismos: me quedo con uno, *Libertas*, una diosa para los antiguos. No tengo entonces cargo de conciencia pero,

por si alguno me quedara, dedico a Alfredo un epigrama latino. En él le agradezco su poema en la admirable forma del soneto, pues con él nos recuerda que es la paz –no la guerra– el fundamento de una vida mejor.

Gratias tibi, poeta amice,
ob tuum carmen bene sonans
miro Italico modo:
mones enim memorare
pacem praesertim, non bellum
causam vitae beatae esse. [Radulfus]



Maria tritici monstrantur / in flavo scuti colore.

VITA VINCIT MORTEM, LUX TENEBRAS



Lenius vénitus aspírat vernalis,
 solvitur sóle pruína brumalis
 cantat hirúndo et púllulant flores,
 redeunt mítes aestátis tepores.
 Ita terrárum aspéctus mutatur,
 totius órbis natúra novátur;
 spes nova lúmine véris redibit,
 vis tenebrárum in lúce peribit.
 Lux tenébris clárior
 noctem súperat;
 forti mórti fórtior
 vita ímparat.
 Praevalére néqueunt
 portae Cérberi
 contra vítam, péreunt
 vires Ínferi.
 Ortum est bélum vicínis indictum
 causis iniústis et fráudibus fictum;
 hostes invádunt tam térrâ quam mari,
 credunt Ucráinam móx expugnari.
 At aggressóres victóriâ fisi
 suis in cárris sunt ármis occisi,
 constitit agmen, est hostis pervictus,
 cui defecérunt ut árma sic victus.
 Pellit prómptus spiritus
 fráudes hóstium,
 improbórum áditûs
 vis verácium.
 Ucrainae glória,
 vivat Hárvoka,
 periit barbária,
 salvâ Kiova!

TUOMO PEKKANEN

Según averiguo en la Red, el autor de este poema, nacido en 1934, es profesor universitario y autor de varias obras latinas. El portal CULTURAACLÁSICA.COM nos da el texto.¹¹

En la canción popular (pido perdón por no hacer citas *ad hoc*) la vejez es comparada con el invierno. En este bello poema (inspirado por circunstancias no bellas) el invierno es la guerra, que destruye las obras de la primavera de la vida. Y es también tinieblas; tinieblas de la noche y del Hades. No es mi tarea escribir sobre política pero el poeta deja bien en claro que hay un primer agresor (¿es un Polinices?) y que es injusto y mendaz (“causis iniustis et fraudibus”).

¹¹<https://culturaclasica.com/poema-latino-de-tuomo-pekkanen-radio-finnia-en-torno-a-la-guerra-de-ucrania/>

Desde el punto de vista de la lengua latina actual, confieso que nunca me pregunté cómo se dice un tanque de guerra; la palabra “carris” –sea en forma masculina, sea en forma neutra– pienso que es apropiada, pues puede extenderse a todo carro de combate. ¿Podría haberse mencionado la *vis aérea*? Por otro lado, yo había leído alguna vez la forma *Ucraina* (aunque, quizás mal, pago tributo a mi españolismo y suelo decir *Ucrania*), pero desconocía por completo *Harkova* (Járkov) y *Kiova* (Kiev).

En otro aspecto, es de latinistas la alusión a textos latinos antiguos. En el comienzo del poema creo que la presencia de Horacio es muy clara (pido nuevamente perdón por no hacer citas pero, de memoria, “*solvitur acris hiems*”)); y muy evidente es la presencia evangélica de “*et portae inferi non praevalebunt*.”

Por fin, así como en antiguos poemas épicos la victoria está del lado de la justicia; aquí también debería inclinarse hacia la “*vis veracum*.” De hecho percibo un cierto espíritu de guerras médicas en la oposición entre la cultura, representada por Ucrania, y la “barbaria.” En fin, Dios dirá. [Radulfus]



PIPILATIONES

Stephanus Gratius

MINUTIAE FELICES

Domnae ecclesia exeentes

Exiebatis ex ecclesia,
ut mihi essetis delirio:
etiam deliro amans
fulvam pulchritiem vestram.

Radulfus



Pequeño contrapunto coplero

Escribí una copla latina al escritor y académico español José María Gómez Gómez. Decía que él, pese a libar los dones de las Musas, también sabía valorar el arte del balompié. Su respuesta:

Prima aetate iucundabar
pediludium exercendo.
Nunc iam vere canus senex
gaudeo, Radulfe, scribendo.


El último verso también se explica por el hecho de que ha loado en sacros versos (para poner el ejemplo que conozco) al jugador uruguayo Fede Valverde. [Radulfus]



Nicolao Groß, Leoni Latino

Tenuis musa Latina
hos versiculos dictavit,
quibus te ferrem ad astra,
Leo Latine, quem leo
ille sacri viri Dei
imbuit humanitate.

Radulfus



ECHUS VOCES EPISTULAE

JOANNES CAROLUS ROSSI ITALUS MEDIOLANENSIS

D.29. m.Apr. a.2022 h.09:19 scripsit Joannes Carolus Rossi:

Incertus, Nicolae mi, tua legens distrahor in partes: hinc enim longe aliter de seris vacciniis sentire mihi videor, hinc de bello Ucrainico disserenti totus tibi adhaereo. Placuit enim admodum quomodo argumentis non modo probabilibus sed etiam humaniter allatis opinionem refelleris illius amici qui litteras aculeatas miserat. Intellexisti enim quo dolore excruciaretur civis Ucrainus cuius patria inique immaniterque vastatur, sed apertissime explicasti cur non uni Putinio, non minus stulto quam crudeli - mea quidem sententia - esset culpa belli imputanda, sed altius repetita fonte et origine mali, quo Ucraina dilaceratur, immitia Americanorum consilia accusanda esse, qui jam viginti annos belli fundamenta jacere coeperunt, quo latius imperii sui fines promoverent.

Ceterum patet omnibus maximam partem bellorum quae his proximis annis in toto orbe terrarum exardere vidimus, ab ipsis esse indicta. Huc accedit quod non modo causas semper sunt Americani impune ementiti - vide sis arma interneciva Mesopotamica, quae nulla fuisse facile emersit - sed etiam condiciones ipsae populorum post bellum multo in pejus ruerunt.

Haec habebam quae tibi scribebam. Vale basilice!

d.29. m.Apr. h.10:11 scripsit Leo Latinus:

Nicolaus Joanni Carolo suo sal.pl.

Summas gratias tibi ago, care Joannes Carole, pro sententia tua mihi benigne allata. Libenter epistulam tuam divulgabo. Latinitas non vivit nisi scribendo et loquendo. His temporibus difficultibus maxime iuvat et delectat vincula amicitiae renovare et firmare. Permittas quaeso, sodalis humanissime, ut in memoriam tibi revocem inceptum meum lexicale iam pridem tibi notum. Agitur de Orbe meo Picto Hexaglotto, quod spero hoc anno perfici posse. Appendici inserui 4 archiva, quae inspicias, quaeso, ut habeas conspectum operis generalem. Occasiunculam nactus scribas mihi quaeso quaecumque de hoc Lexico picturato et glossato in buccam tibi venerint.

Erisne cras particeps acroaseos Terentii zoomianae? Qui loquetur de Erasmi elegantia. Utinam nos Latinitatis vivae defensores, care Joannes Carole, haec tempora quamvis iniqua feliciter superemus: solacium capiamus ex studiis humanioribus.

Haec hactenus, mox, si volueris, plura tibi scribam. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

DAVID EDWARDS BRITANNUS

d.27. m.Apr. a.2022 h.21:08

Dear Brother Nicolaus,

Thank you very much for your newsletter. Please, I am so pleased always to receive this. I am constantly surprised by your articles! What you write is quite extraordinary! So, WOW, thank you. Man sagt, das vielleicht schpраech mann Lateinisch in Himmel? Jah, warum nicht? Godt Sei Dank! Velleicht das soll koennen sei? Again, I am a slow reader, but I seem to make able return reference here to a large number of extraordinary email members. Please, you should best make an online security with your computer system. Anyway, thank you for sending me your wonderful articles. Amazing isn't it? That we are now right in the middle of it!. The End. The Revelation, The Apocalypse, I don't know!, Love you all, God bless you, Godt Sei Dank, WOW! Keep up the good work! Good Luck! **David.**

Nicolaus Eduardo sal.pl.

Care Eduarde, valdē gaudeo quod incumbis in litteras Leoninas tantā cum inflammatione animi. Deus te tueatur annis innumeris. Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus.**ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.28. m.Apr. h.09:49.

Salvus sis Nicolae!

Iam magno cum studio legi symbola illa et interrogaciones peritorum boreoamericanorum rerum exterarum. Bellum ucranium autem, haud facile in disceptionem vocari potest. Hoc enim bellum prae se speciem fert monstri tricipitis. Est bellum russico-ucrainum, est bellum clandestinum excitatum inter Russiam et Civitates foederatas, est bellum intestinum europaeum. Forsitan etiam bellum sinico-americanum considerandum sit? - Igitur cum de rebus ucraniis vehementer, proh dolor, disserimus, primum de quo bello, nam plurima bella in Ucrania inflantur, dissensionem excitatam esse, definitione acuta explicare oportet. In diurnis occidentalibus, et mediis socialibus, hoc bellum polycephalum, ni fallor, praesertim adibetur ad multa dissidia domestica, quae in Europa florent, occultanda. - Quod Macrunculus ille, gerifigulus globalistarum ut recte dicis, iterum electus est praeses, maxima cum victoria, qua re procul dubio insolentior ac superbior evasurus est, miraculum, aut potius portentum est, nam Gallia calamitates civiles gravissimas his temporibus subit. Nullam autem mentionem harum rerum, quod sciam, fecit Emmanuelis Macrunculus, bello ucraino saeviente. - Quod cum ita sit, ita pacis studiosus sum, ut minime misopolemus. Interdum enim impetus potentiorum, aut rerum novarum cupidorum, nisi vi non repellitur. Si quis pacem qualibet lege amet, re vera scipioni harundineo, ut aiunt, innitatur. - Fac valeas!

Nicolaus Ansgario sal.pl.dic.**d.29. m.Apr. h.12:05**

Summas gratias, care Ansgari, quod sententiam tuam de bello Ucrainensi mihi attulisti. Libenter publicabo verba tua gaudens de vitâ Latinitatis demonstratâ. Nam Latinitas non vivit nisi loquendo et scribendo.

Ceterum pro certo habeo istis temporibus inquis maximê valere vinculi sodalitatis firmationem atque renovationem. Quid faciamus nos Latinitatis vivaे defensores isto in statu rerum? Solacium capiamus ex bonis litteris legendis et scribendis! Haec hactenus, sed mox, si volueris, plura tibi scribam libentissimê. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus.

ANSGARIUS OSLOENSIS**d.02. m.Maii a.2020, h.16:57****Salutem Nicolao Ansgarius.**

Lexicon visuale, auctoribus Corbeil et Archimbault confectum, et quod semper summa cum animi admiratione consulo, mihi sat notum est. Annis enim iuvenilibus, cum linguae et litteris gallicis studerem, incidi in hoc opus mirificum. Cum omnes res quae ad vitam hominum adhibentur, nomen proprium habeant, ut constat inter omnes philologos aut cultores voluptarios linguarum, plerumque ad manum nobis non sunt nisi fortasse quingenta (aut mille) vocabula quae ad vitam cotidianam spectant, et alia quingenta, quibus opus nobis sunt ad munus nostrum fungendum. Instrumenta quae in rebus computatoriis (aut informaticis, si licet ita dicere) et culinariis usurpantur, nonnullis linguis voce clare nominare possum, utpote qui cottidie in grapheo in culina verser, vocabula enim nisi loquendo aut scribendo cottidie adhibentur, gradatim in oblivionem veniunt. Nam si mihi descriptio apparatus urinatoris minutatim facienda sit, lingua haesitet ad omnia nominanda (exceptis perspicillo et tubo urinatoriis, necnon pinnis). Nihilo minus lexicon visuale ubi res et instrumenta officiorum describuntur non minus utile quam Atlas orbis terrae videtur. Etiamsi fortasse omnia verba memoriae mandare non licet, cornu copiae vocabulorum contemplando, aciem mentis et vim imaginatōs foveamus. Nunc hoc opus, tuis laboribus benedictinis (ut sermone vernaculo dicitur), latine redditum et commentariis illustratum etiam amatoribus linguae latīnae thesaurum vocabulorum concretorum, brevi tempore ni fallor, praebebit. Macte virtute! - His diebus in Baetica, vel Andalicia, versor, animi laxandi gratia, et ad monumenta aevi baroci inspicienda. - Basilice valeas!

Nicolaus Ansgario sal.pl.

Per opportunē accidit, care sodalis, ut mihi scribas te Lexicon visuale iam pridem nosse et possidere. Permittas, ut ex te saepius quaeram nonnulla de singulis nominibus picturisque.

1) Quam editionem habes? Estne ea quae a.2011 edita est in Monte regio Canadensium, in Provincia Quebeco (in Domo editoriâ "QA", i.e. Québec-Amérique?

2) Quo ordine linguae in editione tuâ indicantur nomina? Primo loco certê Anglicum, et quibus locis afferuntur nomina Theodiscum, Francogallicum, Hispanicum, Italicum?

3) Mea editio germaniensis habet 1271 paginas (indicibus inclusis); ultima pagina picturata est p.1071.

Quaedam menda etiam invênimus. Sed certê cavendum est, ne corrector furore purismi inductus loco termini technici ponit elegantiores voces sed parum accuratam. Si permiseris, libenter tecum per litteras colloquar de singulis quaestionibus nominum et picturarum; praecipue autem colloquendum est de singulis glossis et interpretamentis et testimoniis voluminis alterius. Haec raptim, mox certê plura. Semper quam optimê vale. **Nicolaus Leo Latinus**

GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

D.28 m.Apr. a.2022 h.22:20

Nicolaus Gaio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quomodo te habes, Nestor Academiae et sodalis de Latinitate vivâ meritissime? Utinam optimê valeas et Epistulam Leoninam 258 heri acceperis. Quid tibi videtur de statu rerum quo nunc est mundus noster? Isto tempore difficiili quid nos humanistae faciamus? Solacium capiamus ex bonis litteris necnon sermone humanistarum colendis. - Appendici inserui quattuor archiva electronica, quae spectant ad Orbem Pictum Hexaglottum; quibus perfectis habeas conspectum operis generalem. Inspicias, quaeso, et scribas mihi, quid tibi videatur. Bene spero hôc anno fieri posse, ut opus perficiam. His annis praeteritis multa mihi suasisti, quae spectant ad nomina rerum eligenda et configienda. Rogo te, ut etiam glossas et testimonia verborum perspicias mihique scribas, quid sentias de singulis universis. - Et tu et Francisca pancraticê valeatis et pergatis mihi favere. Medullitus vos salutat Nicolaus.

d.03. m.Maii h.17:41

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

SVBENV. Hodie primo tantum argumento epistulae tuae respondebo; de altero plus temporis mihi erit necessarium. - Assentior verbis quae ad te scripsit ille Canadensis. Ipse de Ucraina nihil dicam, cum sententiam meam iam patefecerim; praeterea in Melissae fasciculis mensis Iunii et Augusti divulgabuntur duae symbolae, quibus Russiae historiam adumbro. Russia originem et nomen trahit ex regno "Rus Kioviae" VIII saeculo a Varegis condito cum gentibus Slavis. His lectis comperies Putinum eodem diro modo se gerere ac Russos Caesares iam a tempore Petri I.- Aliiquid tantum dicam de Americanis. Maxime me taedet non paucos Europaeos audire Americanis maledicentes. Certe Americani non sunt insolentes, sed suntne insolentes Europaei? Certe magnos errores in rebus externis gerendis fecerunt, praecipue in Medio et Proximo Oriente; de his erroribus in Melissa tractavi; peiora infeliciter fatenda sunt de Europaeorum erroribus. - Europaeus cum sim, hic solum considerabo Americanorum politicam Europaeam; notandum est plerosque Americanos sanguine esse consobrinos nostros. Imprimis nos Europaei maximas gratias eis agere debemus,

quod Europam tyrannico iugo Hitleriano liberaverunt. - Non tota tamen liberata est; ad nazistas enim opprimendos operam quoque dedit URSS, ubi saeviebat Stalini ferox tyrannis. Hitlero victo, Stalinus dimidiam orientalem Europae Centralis partem in dictione sua servavit, inclusa magna Germaniae et Berolini parte. - Victores litem Nurimbergensem instituerunt ut superviventes nazistae regentes rite condemnarentur, sed ibi inter iudices sedebant Russi a Stalino missi, qui non minus scelerate se gerebat quam nazistae. - Deinde societas Americano-Russica celeriter mutata est in certamen regiminis communistici contra regimen liberale, quod vocatum est "bellum frigidum". Stalinus regimen communisticum imposuit omnibus civitatibus orientalibus, quae erant in dictione sua. Cum insuper sovieticum paeconium factiones communisticas efficaciter foveret in civitatibus Europaeis, quarum oeconomia post bellum iacebat, Praeses Americanus Truman eis (inclusa Germania victa) anno 1947 obtulit *European Recovery Program* et celeriter earum oeconomia restituta est.

Inter Bellum Frigidum bis periculum veri belli instituit, primum, cum Stalinus anno 1958 Berolinum totum voluit in dicionem suam redigere; obstiterunt Americani, quorum praeses Kennedy Berolinum petivit et coram populo dixit "Ich bin ein Berliner". Altera occasio fuit anno 1962 cum Khrouchtchev missilia atomica in insulam Cubam importare voluit, ubi iam instruxerat aream missionis; iterum Kennedy obstitit. - Gorbachev, anno 1985 novum caput URSS factus, comperit oeconomiam Russiae Americanam aequare non posse sine mutatione regiminis politici, sed regimen liberale factum incitavit multas civitates, quas URSS vi in dictione sua servabat, ad rebellandum et suam libertatem poscendam. Anno 1989 URSS corruit sine bello, sed solo certamine oeconomico.

Putinus eodem modo se gerit, quo usi sunt Russi autocratae a regno Petri I: oportet imperium semper dilatare. - Intra ultimum decennium XX saeculi, Americani prudenter consociaverunt foederi NATO complures civitates ad limitem Russiae sitas, quae sub iugo URSS diu vixerunt et nunc libertate fruuntur. - Praeses Biden optime agit et maximum auxilium affert populo Ucraino, cuius defensio contra vim barbarice allatam heroicē se gerit. - Si quis Europaeus de Americanis male dicit, sive ignarus est, sive corruptus. - Cura ut optime valeas.

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic.

Summas gratias, care Gai, pro litteris tuis prolixis. Libenter explicationes tuas historicas atque politicas publicabo. Affirmo autem tibi me non generaliter et indiscriminatim Americanos vituperavisse, sed nonnullos, qui nunc regimen tenent Americae et vim habent ad magnam partem mundi reliqui. Ceterum mihi videtur ille Professor *John Mearsheimer*, cuius sententiam in EL 258 publicavi Latinē redditam, veras causas huius conflictū ucrainiani plausibiliter explicare.

Russi eodem modo non patiuntur ruchetas americanas (neque Americae milites et consultores militares et biolaboratoria etc., etc.) ante portas imperii sui collocatas quo Americani non patiuntur ruchetas russicas in Cubā collocatas (aut, ut nuperrimē factum, minantur Sinensibus bases in Insulis Salomonis collocaturis). In utroque casu subest imperialismus, non moralitas. Imperia potius reguntur macchiavellismo

quam catechismo christiano. Sed propter tales luctationes potestatis maxima mala patiuntur cives subditi, qui potestatis sunt prorsus expertes - sive sunt Ucrainii sive Russi sive Americani. Absurdum et improbum est nunc omnibus Russis maledicere et Russos artifices ex theatris et orchestris fugare propter Putini belligerationem. Etiam sanctiones oeconomiae sunt in dubium vocandae, si nobis ipsis plus nocent quam Russiae. Iisdem efficitur, ut Russi Sinensibus se associent - certê hoc non fiet commodo Occidentalium.

Ceterum in Civitate Iemeniticâ ex multis annis crudelissimê saeviunt bellum et fames, quae efficiuntur ab Arabibus Saudianis. De isto bello cruentissimo vix umquam nuntiatur apud nos aliquid a diurnariis et vix ullus politicus aut diurnarius postulat ut Saudianis imponantur sanctiones. Ubi sunt accusatores Saudiorum? Ubi sunt clamores indignationis et misericordiae? Num Iemenitae mulierculae et infantuli minus valent quam Ucrainii?

Nostra gubernatio mendicatur gasum liquidum in Catarîâ, ubi iura humana etiam multo minus respiciuntur quam in Russiâ.

Quid de Erdogan Turcorum praeside, qui bombas iacit in Curdos, sed personam gerere vult mediatoris pacis inter Russos et Ucrainios faciendae? Europaei non audent postulare, ut Turciae sanctiones imponantur. Erdoganus enim nimiam potestatem habet flumen immigrantium derivandi.

Apparet occidentales variis ponderibus ûti in facinoribus nationum pendendis: id quod Americani persaepe fecerunt (fregerunt ius gentium - in Jugoslaviâ unâ cum Natone, in Iraciâ, in Libyâ, in Afghanistaniâ, in Vietnamiâ, in multis aliis terris) numquam sanctionibus punitum est; Russia quia hoc facit, nunc in summâ et indiscriminatim dicitur Regnum esse Tenebrarum, Putinus habetur pro altero Dzingischano, Stalino, Hitlero, Draculâ, Diabolo.... Ubi est aequalitas iudicij?

Si bellum nunc augetur et exasperatur armis ponderosis in Ucrainiam mittendis, praeter Ucrainios nos ceteri Europaei ipsos in magnum periculum subducimus. Maximê timendus est usus armorum nuclearium. Quae Deus avertat. Utinam pax redeat in Europam quam maturrimê. Nos quia humanistae sumus, solacium capiamus bonas litteras legentes et scribentes. Pancraticê vale, mi Gai carissime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

04. m.Maii a.2022 h.11:10

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Novissima verba tua, moderationis plena, mihi placent, cum non sint sine veritate.

Si acroasin meam De bello et pace in Academia factam in memoriam revocas, ibi explicationem hodiorum eventorum invenies. Imprimis sola adhuc viget Naturae lex validioris. Ibi quoque citavi Aristophanem, qui iam dicebat simplices homines non esse belli fautores, sed eorum duces nimis superbos et crudeles. Professor Mearsheimer causas immediatas belli Ucraini enuntiavit, sed omisit causam fundamentalem, quae est superbia Russi ducis, qui imprimis totam potestatem in regimine astute sibi arrogavit.

Certe Americani non sunt angeli et semper de sua utilitate curant, sed tu et ego sumus Europaei et oportet de utilitate nostra curemus. Cum singulae nationes Europaeae, antea potentissimae, nunc impotentes factae, suam Unionem satis potentem facere nondum valeant, protector eis necessarius est; quem mavis, Americanum an Russum? De Russo multi Germani ante semisaeculum gustandi occasionem iam habuerunt et multi vitam perdiderunt, cum aufugere conarentur. Ucraini tam heroice rebellant, quod nolunt sub iugo Russi dictatoris vivere.

Si Putinus magis intellegens esset, inspecta mappa mundi, Sinenses magis timeret quam Americanos et Europaeos; ingens enim Sibiria, tot primitivis metallis referta sed 33 millones incolarum tantum habens, extenditur usque ad Sinarum fines, ubi vivit fere sesquimiliardum hominum; necessario cupiditas huius fere vacui territorii capiendi iam exstat. Consilium novae Viae Sericae per Sibiriam ducendae iam ad effectum ducere coeperunt, suis sumptibus, non Russorum. Putino socius potius quaerendus est in Occidente; si Russia cum his civitatibus se potius coniungeret, sperare posset se Sibiriam servaturam esse. Putat se optimam societatem fecisse cum Sinensi dictatore, obliviscitur Stalimum quoque pactum fecisse cum Hitlero... Tales sunt dictatores.

Cura ut optime valeas.

NICOLAUS LEO LATINUS CHRISTIANO LAES

ALTERI A PRAESIDE ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE SAL.PL.DIC. S.V.B.E.V.

Quid fit, quid agitur, bone Christiane maxime honorabilis? Gaudeo me cras participem fore proximae acroaseos zoomianae, quam facturus est Terentius de Erasmi elegantia. Nova camera empta (cui microphono impositum est) spero me cras et voce et facie vobiscum colloqui posse. Tune etiam intereris?

Istis temporibus difficilibus maxime iuvat et delectat vincula sodalitatis renovare et firmare. Permittas quaeso, Christiane humanissime, ut in memoriam tibi revocem inceptum meum lexicale iam pridem tibi notum. Agitur de Orbe meo Picto Hexaglotto, quod spero hoc anno tandem perfici posse. Appendici inserui 4 archiva, quae inspicias, quaeso, ut habeas conspectum operis generalem. Occasiunculam nactus scribas mihi quaeso quaecumque de hoc Lexico picturato et glossato in buccam tibi venerint.

Accepistine Epistulas meas Leoninas? Quas - ni quid intervenit - soleo mittere septimanatim; die Mercurii tibi misi EL 258.

Ista in turba mundi, optime sodalis et alter a praeside Academiae, quid faciamus nos Latinitatis vivae defensores studia humaniora amplexi? Solacium capiamus ex bonis litteris legendis et scribendis! Pancratice vale, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

CHRISTIANUS LAES ALTER A PRAESIDE ACADEMIAE ALF

Christianus Leoni suo strenuissimo atque indefatigabili

Omnia tua, mi amice, bene recipere soleo -- etiam Epistulas Leoninas septimanatim missas. Quomodo possim oblivisci Orbis tui? Tu aderis in conventu Academiae

nostrae? Tunc nos, id est ego, Theodericus et tu, de hoc proposito colloqui, valeas quam optime! **Christianus tuus**

PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

El sáb, 30 abr 2022 a la(s) 15:19, SPQR (spqr@leolatinus.de) escribió:

Nicolaus Paulo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Cum bene sciam tibi cordi esse dictionaria et glossaria Latinitatis vivae, mitto tibi introductionem nonnullaque exempla partium operis mei, quod hoc anno tandem perfici posse bene spero. Perspicias 4 archiva appendici imposta et scribas mihi quaecumque tibi in buccam venerint. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

Paulus Nicolao s.d.

Tibi mitto meditatiunculam de bello Ucraniano. Orbis Pictus, primo visu, ut mihi videtur, est magnum opus, de quo deinde tibi scribam. Vale semper.

MEDITATIUNCULA DE BELLO UCRAINIANO.

Russia in Ucraniā irrumpens, nobis dat ansam ut comparemus duo regimina gubernativa inter sese opposita: et democratia et dominatio, quae - gravissima si esset- tyrannis vocatur; neutri est definitio unica et determinata, nam diversis et saeculis et regionibus aliquatenus mutantur, et quamvis utraque nempe possit parare agereque bella, tamen hoc differunt: quod in democratia omnes potestates statales vel praeses vel ministri et parlamentarii, postquam de re disputatione, consilium agendi belli suscipiunt vel etiam a bello se abstinent; in dominatione autem sufficit tyranni opinio, quam saepe ii, qui sub eius manu ditantur, magno plausu fovent; praeterea in democratia non facile celatur veritas ob opinandi libertatem, quam ductores tyrannici et contumaces nusquam bene accipiunt.

NICOLAUS LEO LATINUS THEODERICO SACRÉ

PRAESIDI ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE SAL.PL.DIC. S.V.B.E.V.

Quonam modo te habes, care Theoderice maxime honorabilis? Gaudeo me cras participem fore proximae acroaseos zoomianae, quam facturus est Terentius de Erasmi elegantiā. Novā camerā emptā (cui microphono impositum est) spero me cras et voce et facie vobiscum colloqui posse. Istis temporibus difficilibus maximē iuvat et delectat vincula sodalitatis renovare et firmare. Permittas quaeso, praeses humanissime, ut in memoriam tibi revocem inceptum meum lexicale iam pridem tibi nōtum. Agitur de Orbe meo Picto Hexaglotto, quod spero hōc anno tandem perfici posse. Appendici inserui 4 archiva, quae inspicias, quaeso, ut habeas conspectum operis generalem. Occasiunculam nactus scribas mihi quaeso quaecumque de hōc Lexico picturato et glossato in buccam tibi venerint. - Accepistine Epistulas meas Leoninas? Quas - ni quid intervenit - soleo mittere septimanatim; die Mercurii tibi misi EL 258. - Toto ex corde exopto tibi, Theoderice humanissime, ut nunc, ubi cursu honorum felicissimē perfecto rude sollemniter donatus es, otio cum dignitate colendo

fruaris fructuosissimo. Quid faciamus nos Latinitatis vivae defensores studia humaniora amplexi istâ in turbâ mundi? Solacium capiamus ex bonis litteris legendis et scribendis! Pancraticê vale, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

D.03. m.Maii a.2022 h.09:20 scrispsit Dirk Sacré:

Theodericus Sacré sodalibus ALF s.d.p.

Ecce conventus moderatorum nomine ac iussu ordinem rerum in congressu ALF agendarum ad vos mitto; accedit nuntius de coetu annuo. - Spero quam plurimos vestros fore praesentes. Ceterum hortor vos ut Latinitatis cultores qui vobis innotuerint certiores faciatis de hoc conventu: qui si his rebus interesse cupierint, hospites erunt nobis grati! Unum ab eis petimus: ut Nicolao De Mico sodali nuntient quibus diebus sint affuturi. Valete quam optimê!

Nicolaus Groß Theoderico Sacré

Praesidi Academiae Latinitati Fovendae sal.pl.dic.

Summas gratias, care Theoderice, pro invitatione et programmate, quod libenter divulgabo. Valdê doleo, quod hôc anno particeps fieri non potero, quia iter mihi nimis sumptuosum est. Sed spero fieri posse, ut acroases praestantissimas spectem et audiam systemati zoomiano adjunctus. Quod attinet ad litteras tibi nuper missas, quam scripsi de Orbe Picto Hexaglotto, properato non opus est. Minimê urgeo te nunc congressum dispensandi laboribus obrutum. Utinam congressus evadat quam optimê, utinam studia vestra latinissima vivant crescant floreant! Pancraticê vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Groß Leo Latinus.**

RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS BONAERIENSIS

D.03. m.Maii a.2022 h.03:12 scrispsit Raúl Lavalle:

Carissime Nicolae,

Vide, precor, nuntium meum electronicum. Numerus nondum finitus est sed in p.13 humillimum epigramma tibi dicavi. Tuus Radulfus

Nicolao Groß, Leoni Latino.

Tenuis musa Latina

hos versiculos dictavit,

quibus te ferrem ad astra,

Leo Latine, quem leo

ille sacri viri Dei

imbuit humanitate.

Radulfus

Leo Latinus Radulfo Bonaeriensi suo sal.pl.dic.

Nimio honore me afficis carmine tuo, Radulfe. Gratias ingentes! Libenter publicabo textûs et imagines mihi benignê missas. Haec raptim, mox, si volueris, plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

Nicolaus Radulfo suo Bonaeriensi sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Cum bene sciam tibi cordi esse dictionaria et glossaria Latinitatis vivae, mitto tibi introductionem nonnullaque exempla partium operis mei, quod hōc anno tandem perfici posse bene spero. Perspicias 4 archiva appendici imposita et scribas mihi quaecumque tibi in buccam venerint. Pancraticē vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

Carissime Nicolae

Certissime Leo Hieronymi latinitatis hodiernae es. Quid dicam? Laudare tuam scientiam numquam desino. Glossarium tuum plenum doctrinae labor est improbus. Solummodo, ut poenitens ante sacerdotem, meum modum novorum vocabulorum confiteor. Exempli gratia, QUIDEST mea est vertendi forma Whatsapp. Tempto scilicet modum brevissimum vertendi invenire; si possibile esset, uno vocabulo. Valde gaudeo de tuo eruditísmo léxico. Salutat te Radulfus

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	00506 A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90




**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM UNDESEXAGESIMAM



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

**Die Mercurii
04. m. Maii a. 2022**



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**